DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

JUDAEO-CHRISTIANISMO EJUSQUE VI ET EFFICACITATE QUAM EXSERUIT IN REM CHRISTIANAM, SECULO PRIMO,



DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

JUDAEO-CHRISTIANISMO EJUSQUE VI ET EFFICACITATE, QUAM EXSERUIT IN REM CHRISTIANAM, SECULO PRIMO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI BAKE,

PHILOS. THEOR. MAG. LITT. HUM. ET JUR. UTR. DOCT.
LITT. HUM. PROF. ORDIN.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMMISQUE IN THEOLOGIA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

DAVID VAN HEYST,

AMSTELODAMO-BATAVUS,

V. D. M. in pago Muiderberg.

AD DIEM XXIV. JUNII MDCCCXXVIII. HORA XI.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD VIDUAM D. DU SAAR,

MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO.

Tandem mihi contingit, curriculo Academico finem imponere, et hocce edito specimine officium solvere, cujus implendi religionem in me susceperam. Sat multum temporis elapsum est, ex quo argumenti optio apud me constabat; argumenti vero dispositio et elaboratio multam magnamque mihi objecerunt moram. Prope jam accesserat dies, quo munus sacrum a me obeundum esset; hoc cum sentiebam, urgendum fuit opus Temporis spatio itaque, quod adhuc residuum erat, strenue utendum fuit, neque illud, quod jam elapsum fuerat, compensari potuit, nisi omnibus, quantum in me esset, viribus intendendis. Hoc quaeso teneant lectores aequi rerum judices, ne iniquius ferant judicium, si hic vel illic deprehendant non pauca vestigia juvenilis mediocritatis. Argumen-

mentum per se gravissimum uberiorem requisivisset tractationem, tempori vero parendum fuit. Feci ergo, quod potui; feci quod ferebant humeri. Impense tamen laetabor, si non omnia, quae scripsi, aut saltem digito monstravi, ulteriori inquisitione peritiorum et doctiorum sint prorsus indigna. Ultimam manum attuli operi, muneris mei, quod jam obire inceperam, distractus occupationibus. Hoc excusationi locum dabit, siquidem exstent in ultimâ operis parte festinationis quaedam indicia vix evitanda. Nolui tamen diutius procrastinare hujus speciminis edendi tempus, ne, quod non raro factum vidimus, tandem plane seponeretur et oblivioni traderetur. Sit mihi concessum, ante omnia indulgentiam implorare lectorum, judiciumque benignum ab iis petere, quod minime solet denegari ei, qui primâ vice studiorum suorum publice rationem exhibeat.

De argumenti tractandi modo hic nihil monendum habeo, quia hanc rem introductio ipsa satis superque declarat. Sed hac opportunitate uti

uti apud me constitui, ut gratum meum animum tester omnibus viris clarissimis et doctissimis, quorum institutione mihi frui contigit. Vos igitur omnes viri celeberrimi, quos studiorum moderatores habere licuit, tum in Athenaeo Amstelaedamensi tum in almâ Musarum sede, quâ Lugduno-Batava superbit; vos omnes compello, multumque vobis me debere publice hic profiteor. Nunquam nomina vestra ex animo meo evanescent, quae summâ veneratione soleo prosequi, cum biennium in memoriam revoco, quod literis humanioribus impendi. Vobis enim debeo, quod non prorsus alienus a sensu veri et pulchri ad disciplinas Theologicas me contulerim. Litterae autem elegantiores indissolubili vinculo cum quâvis disciplinâ nectuntur; iisque segnius tractatis, non multi profectus fieri possunt in studiis subsequentibus. Accipite igitur grati animi testificationem, et sic habete, me vestra beneficia tanti existimare, quanti habenda sunt fundamenta, quibus omne aedificium tuto superstrui queat.

Vos

Vos imprimis Theologicae disciplinae lumina, quorum splendorem in studiorum curriculo nunquam non suspiciebam, hic memorare mihi liceat. Quidquid profectuum feci in divinâ nostrâ doctrinâ, vestrae debeo institutioni, viri celeberrimi, Clarisse, Suringar, Van Hengel et Kist! Si quidem non prorsus indignus ero provinciâ, cui sum praepositus, vestrae curae, vestrae institutioni gratiae referendae sunt. Non tantum ex doctrinae vestrae ubertate et copiâ emolumenta varia in me redundarunt, sed etiam tot tantaque vestrae erga me benevolentiae et amicitiae specimina sum expertus, ut non nisi quaevis bona ex iis erga me studiaque mea possim augurari. Nunquam me ingratum aut immemorem beneficiorum reperietis discipulum, nunquam oblivioni tradentur anni, per quos egregiis vestris monitis uti mihi datum fuit. Hoc temporis spatium per omnem vitae cursum a me habebitur laetissimum; neque unquam desinam divinae providentiae laudem celebrare, quâ benigne mihi datum est, ut

ut vestras adirem scholas. Ut diu adhuc vobis viventibus et incolumibus, patria nostra, ecclesia, academia decore suo eximio gaudeant, faxit Deus Optimus Maximus!

Tu quoque gratiarum mearum accipe tributum, Praeceptor clarissime, disciplinae nostrae antistes nobilissime, quem Promotorem me nactum esse impense laetor, summe venerande Van Voorst. Te enim, patris instar, omnes Theologicae disciplinae alumni, revereri solemus. Te corpore quidem senem, animo vero et laboris fructu juvenem adeo eundem prorsus expertus sum, qualem per multos jam annos plurimi te reperisse sibi gratulantur; quodque famâ antea saepius audiveram, per omne tempus, quo hâc in Academiâ sum versatus, maximo meo commodo experientiâ ipsâ probatum vidi. Semper te promtum et paratum inveni, ut tua consilia utilissima mihi impertires, neque recusâsti, quamvis tot tantisque occupatus laboribus, auxilium tuum et monita mecum communicare, hocce in opere scribendo et edendo.

Ho-

Herum beneficiorum, quae tum ex institutione tuâ, tum ex privatis colloquiis in me redundarunt, nunquam immemor ero, quamdiu vivam. Pro hisce omnibus accipe animi mei grati sinceram testificationem; perge meo commodo invigilare, quod nunquam facere destiisti. Sit tibi laeta serenaque senectus, cujus fructus uberrimi semper discipulorum utilitati inserviunt, et adhuc multis ut prosint, divina benignitas nobis concedat! Vota facere non desino pro salute tua, quibus votis sua adjungunt, quibus Theologicorum studiorum decor et splendor cordi sunt.

Valete et vos omnes, Amici Integerrimi, quorum dulcissima nomina semper animo meo infixa haerebunt; quorum fides inculpata, et candida amicitia studiorum cursum tantâ affecerunt suavitate. Accipite triste vale; vivite felices, memores et vivite nostri.

DIS-

VI

DISSERTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,

DE

JUDAEO-CHRISTIANISMO EJUSQUE VI ET EFFICACITATE QUAM EXSERUIT IN REM CHRISTIANAM, SECULO PRIMO.

INTRODUCTIO.

Ut historici muneri satisfiat, nudam rerum enarrationem minime sufficere consentiunt omnes. Causarum effectuumque tractationem et expositionem primum esse et praecipuum, cui operam det historicus; ut brevius dicamus, historiam tractandi rationem esse debere *Pragmaticam*, non est quod demonstremus. Quantos fructus sic tandem haec disciplina proferat uberrimos, praeterlapsi aevi memoria nostrique experientia luce clarius docuerunt. Ne quis tamen existimet, nos celebrando historicorum recentiorum merita, in-

vidiosam sententiam ferre de antiquioribus. Vix pares habuerunt Herculeo adeo labore exantlando, et indefesso studio materiem colligendo, ex quo aedificium ingens strueretur. Minime ingrati animi culpam in nos contrahere velimus, cum veterum assiduitas et luminum magnitudo tam crebro nobis usu venerint. Sed quid historia sine pragmatica tractatione? Quid farrago ex variis factorum traditionibus congesta? Monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademtum. Beatam ideo praedicamus recentiorem aetatem, quando viri prodierunt perspicacissimi et magnâ doctrinae copiâ instructi, qui ex rude hac et indigestâ mole unum corpus disposuerint et ex membris disjectis coagmentarint. Omnia jam loco suo reperiuntur, lucidus exstat ordo, et concinne inter se concatenantur omnia; amice conspirant, quae antea inter se pugnare videbantur. Hoc munus, hoc opus est rationis pragmaticae. Quantum usum haec praestet *Historiae Ecclesiasticae*, vix dici potest. Evolvantur scripta, quae debemus doctis acutisque ingeniis, quibus merito *Germania* superbit. Quisque videt nobis ob oculos versari Moshemios, Schröckhios, Semleros, Henkios, Spittleros, Planckios, Neandros, Gieseleros et tot illustria nomina, quae recensere longum sit. Horum virorum doctrinae copiae et mentis acumini debemus, novam et inusitatam lucem fatis *Christianorum* societatis doctrinaeque ipsorum esse admotam. Quae antiquiorum collegerat industria et ferrea sedulitas, horum perspicacitas et mentis acumen apte disposuit et concinnavit, ita

ut,

ut, quod antea campum aridum aut dumetis obsitum exhiberet, jam amoena prata ostendat floribus distincta et fructuum copiâ referta. Hinc etiam factum est, ut multa imprimis ad rerum notitiam facientia, quae antea in obscuro latebant loco, in lucem claram diei protracta sint, et iteratâ vice, verâ suâ naturâ et indole, exponerentur. Huc facit quam maxime *liberalis* (ut ajunt) tractandi ratio, qua nostris diebus Theologicae disciplinae exponi soleant. Contrarium huicce, quam nocivum fuerit historiae Ecclesiasticae, vix dici potest. Quid absurdius, quid historici munere indignius, quam placita suo tempore recepta et sancita in antiquiorum *Christianorum* inferre historiam, eamque secundum hanc normam informare seu potius contorquere? At vero, sic saepius res acta est: nec sine damno insigni et detrimento veri studii hoc accidit. Hoc malum tantummodo evitari potest, inquirendo, sine partium studio, in uniuscujusque rei *Christianae* aetatis indolem et rationem.

Fieri quidem potest, ut exacto examine minus laeta et probanda nobis videatur haec vel illa temporum conditio, vel ut plura bona in eâ reperiamus, quam quidem vulgo creditur: sed persuasio haecce, nos ulterius in indagando vero progressos esse, satis superque compensabit dolorem, quem sensus injucundus, quod spei nostrae exitus non responderit, in mente nostrâ excitare solet.

Inter has partes historiae Ecclesiasticae, quae tum jucunditate, tum utilitatis fructu se commendant, omnino referenda inquisitio variarum muta-

tionum, quas doctrinae forma per omne aevum apud Christi sectatores subiit. Innumerabiles se manifestas reddidere opiniones et cogitandi rationes, quas aut aetas delevit, aut quae per omnia secula se propagarunt. Sed hae omnes tamen hanc vim habuerunt, ut tandem *Christianorum* disciplina talis sit facta, qualem jam nunc habemus. Crebris dissidiis et nunquam intermisso bello, ingenium humanum agitatum est et excultum; et ex nocte illâ obscurâ horridisque saepius tenebris involutâ, lux serena exorta est novis obducenda nebulis.

Religio Christiana hominibus divinitus data, quod ad materiem suam, semper constans sibi et eadem, varias induit formas, quas humanae mentis conditio et indoles ei addere solent. Hujus observationis bonitatem jam probarunt prima tempora, quibus suos fautores in hoc terrarum orbe numeraret. Homines, qui ad eam accederent, suas opiniones et suos sentiendi modos habebant. Ex harum naturâ et varietate varias formas doctrina coelestis contraxit, et omnino divini Numinis vestigia clarissime sese ostenderunt in eo, quod germana disciplinae indoles non perierit tot tantisque obruta additamentis.

Solemus in tractandâ historiâ nostrae religionis attento animo rerum Christianarum initia inter *Judaeos* contemplari. Primum summâ dignamur attentione has primitias rei bene gestae; accurate coetûs *Hierosolymitani* lustramus fata et incrementa; mox vero ejus quasi obliti, ad scenam latius extensam nos convertere solemus et Christi

sti legatos per *Asiam* et *Graeciam* et *Italiam* sequimur; novos undique surgere videmus coetus, juvenilis quasi aetatis robore et flore splendentes et plane sumus immemores matris, ex qua omnes originem repetant, donec tandem post magnum intervallum, cum de sectis *Nazaraeorum* et *Ebionaeorum* agendum sit, repente ad eam redeamus ad exsequias ejus, ut ita dicam, celebrandas, tristeque vale ei dicendum. Verum quidem est, matris hujus gloriam filiarum nomine et celebritate fuisse obscuratam, et alienâsse a sese suas filias cum non matris benignae nomen, sed durae adeo novercae tueri inciperet. At vero nonne digna est, ut diutius oculos in eam conjiciamus? Hoc saepius mecum reputavi, cum fata *Christianorum* primi aevi perlustrarem et visum mihi est, hanc partem historiae, quae agit de *Christianis* e *Judaeis* oriundis eorumque opinionibus, non, qua par erat, diligentiâ et ubertate a scriptoribus esse tractatam, neque autumem, opus aggredi supervacaneum, qui lucem quandam huic materiae affundere conaretur. Dignum videbatur argumentum, quod seorsim tractaretur.

Nam pretio suo et pondere non caret quaestio, quid *Judaeorum*, apud quos Christiana religio primordia sua habuit, opiniones et indoles in doctrinam hancce effecerint? Quatenus hisce opinionibus fuerit imbuta? Num haecce conjunctio, germanae Christi doctrinae nocuerit, nec ne? Quibusnam tandem causis effectum sit, ut damnum, quod inde oriri possit, averteretur? Hisce quaestionibus saepius mecum agitatis et ponde-

ratis, optimam et, quantum fieri possit, certissimam respondendi viam existimabam, siquidem antiquissima rei Christianae monumenta adhiberem et *Judaeo-Christianorum* historiam perlustrarem.

Opus arduum et vix juvenilibus ferendum humeris. Nullum scriptum legere contigit mihi, quod seorsim hanc partem tractaret; ipsi adeundi erant fontes. At quales? Partim quidem *Novi Testamenti* scripta purissimos afferebant rivulos, sed exiguos et mox exhaustos: partim vero scriptorum *Ecclesiasticorum* monumenta non spernenda quaedam dederunt; sed, ubi margaritae paucae ex immensâ sordium mole expiscandae erant, labore iniquo fracta industria; cum, quid affirmandum, quid negandum esset, vix haberem, Quid mirum adeo collectam materiem, separatam a spuriis et incertis, quantum ferebat meae cognitionis mediocritas, haud respondisse expectationi. Sed alea jacta fuit, et strenue et patienter ferendum, quod mutari non poterat.

Disputationem igitur qualemcumque scripturus *de Judaeo-Christianismo, ejusque vi et efficacitate, quam exseruit in rem Christianam, seculo primo*, rem inde ab origine repetendam censui. Primordia rei Christianae contemplanda erant, ut exinde appareret, *Judaeorum* opiniones in religionem Christianam magnam vim exserere debuisse. Videndum porro, quatenus hae opiniones oppositae fuerint germanae naturae Christi doctrinae, et qualibus quantisque litibus et controversiis ansam dederint. Quaenam vero causa maxi-

xime *Judaeo-Christianismo* exitium attulerit, ita ut tandem ejusmodi cogitandi ratio non amplius vigeret in *Christianorum* societate, denique indagandum esse putavimus, praemissâ historicâ rerum expositione. Terminum hujus disputationis constituimus finem seculi primi, non quidem hanc ob causam, quod *Judaeo-Christianismus* jam tunc prorsus vim suam exserere desierit, sed quod historia *Judaeo-Christianismi*, qualis se ostenderit seculo secundo et deinde etiam, si accurate exponeretur, fines, quibus disputatio Academica circumscribi solet, omnino transgressura esset; unde potius hanc inquisitionem, si vitam et otium nobis in posterum concedat Divina Providentia, separatim tractandam nobis sumemus. Ceterum *Judaeo Christianismus* aliam quandam formam deinde induit, cum maximâ suâ vi externâ, per Judaïcae reipublicae cladem, destitueretur: satis itaque commoda argumenti nostri divisio unicuique apparebit.

Ut clarius appareat nostri argumenti ratio, breviter disputationis cursus hic definiendus videtur.

Capite I. agetur *De origine Judaeo-Christianismi ex coetu Hierosolymitano repetendâ*, ubi brevem disquisitionem instituemus de Ecclesiâ *Hierosolymitanâ*, *Judaeo-Christianorum* incunabulis.

Capite II. *De Judaeo-Christianismo increscente et lites et controversias agente cum Ethnico-Christianismo*, sive de controversiis *Judaeo-Christianos* inter et ceteros *Christianos*, ad hoc usque tem-

tempus, quo dissidium in conventu *Hierosolymitano* compositum videbatur.

Capite III. *De Judaeo-Christianismo omnes vires suas exserente, a Paulo acerrime impugnato.*

Capite IV. *De Judaeo-Christianismo ab alta sede sua deturbato et lethali affecto vulnere:* quo in capite, post recensionem eorum, quae *Judaeo-Christianismus* in rem Christianam effecerit, caussam praecipuam ejus interitûs exponemus; qua factum est, ut lapsu temporis prorsus ex Ecclesiâ evanesceret.

Quantum fieri potest *historicam* rerum connexionem persequimur, et eventuum narratio normam nobis exhibebit, secundum quam observationes nostras disponamus. Historiae partem sane magni momenti esse, quisque nobiscum dicet: versatur enim in primis temporibus Ecclesiae, quando caussae externae, et opiniones extrinsecus allatae maximam vim exercere solent: depingit nobis acerrimam luctam et concertationem puram doctrinam inter et humana additamenta; ex quo autem bello, licet non sine vulneribus omnibus, in universum tamen inconcussa, novisque viribus aucta bona causa triumphans emersit. Gravissimum argumentum, quod exercitatius ingenium uberioremque doctrinam, quam mea diei potest, requireret. Admodum vereor ut operae pretium facturus sim, hoc argumento tractando. Sed dijudicent hoc peritiores, quorum benevolentiam et in judicando lenitatem imploramus quam maxime.

Suf-

Sufficiant haecce. Nolumus illos, qui itineris socios se nobis adjungere haud recusabunt, diutius in portu detinere. Retinacula jam solvenda, quae puppim littori alligant: vela expandimus, ventis spirantibus prospere, votaque facimus ex imo pectoris sensu, ut fausta sit navigatio utque sine gravi jacturâ, superatis *Syrtibus*, et *Cyaneis* evitatis, naviculam nostram perducamus in tutam et securam stationem.

CAPUT PRIMUM.

DE ORIGINE JUDAEO-CHRISTIANISMI EX COETU HIEROSOLYMITANO REPETENDA.

§. 1. *Introitus.*

Munere suo his in terris perfunctus, Servator Optimus ad sedes beatorum recesserat; et opus a se inchoatum discipulis suis absolvendum mandaverat. Semina coelestis doctrinae jam sparsa erant, neque spes deerat fore, ut seges laetissima, sub Dei suspiciis, ex hoc semente propullularet. Huic spei et exspectationi imprimis favebat miraculum, die *Pentecostis* in Jesu sectatoribus effectum. Jam alii facti sunt memorabili hocce eventu, quam antea fuerant. Divino impulsu excitati in hominum prodeunt frequentiam, novae divinaeque disciplinae laetum proferentes nuncium: indefesso labore muneri sibi imposito invigilant, nec periculorum metu neque adversariorum minis se ab eo avocari patiuntur. At vero quisque affirmabit nobiscum, Jesu *Apostolos* huma-

manam naturam minime deposuisse; contra ipsos, ut solet, ad clariorem et uberiorem scientiam identidem pervenisse, et singulos quidem pro modulo suo et ingenii ratione munus sibi demandatum exsecutos fuisse.

Judaei cum essent, opiniones et mores huic genti proprios ipsi etiam retinebant *Apostoli.* Quid mirum itaque, doctrinam, quam proponebant, *Judaico* quasi colore imbutam et ejusmodi imaginibus expressam fuisse. Etenim ex Dei voluntate ab hocce populo salutaris religio ad ceteras gentes extendi debebat, terraeque *Palaestinensi* hic honor fuit reservatus, ut rei Christianae praeberet incunabula. Si jam cernimus prima *Apostolorum* conamina et facta, nihil aliud videre putamus, quam *Judaeos* quosdam viros, morum corruptioni et religionis avitae depravationi obviam euntes, et provocantes ad consensum eorum, qui inter populares suos veritatis amore excellerent. Nemo his in rebus initia suspicaretur eventûs, qui, totius fere humani generis sortem immutaturus et compositurus esset. Dignissima tamen sunt haec rerum primordia, quae lustrentur a nobis, in his enim plurimorum eventuum causam et explicationem invenire possumus, quibus bene definitis, cetera planiora evadent. Ecclesia, quae dicitur *Hierosolymitana*, mater et nutrix reliquarum societatum, deinceps ubique constitutarum, attentionem nostram in se convertit; qualisque fuerit jam primum nobis videndum.

§. 2. *De nexu, qui inter primos Christianos et Judaeos intercedebat.*

Male certo ageret, qui *Apostolos* Jesu sibi proponat, quasi coetum religiosum separatum efficientes, et identidem eos, qui fidem haberent ipsorum institutioni, huic coetui adjungentes. Minime a societate *Judaeorum* separati, publico horum cultui, ex Mosis legibus instituto, addicti fuerunt (1). Potuerunt bonâ fide observare publicum cultum *Judaicum*, cum ipse Jesus se ei addicens festa solemnia celebrare, atque instituta, legum auctoritate sancita, observare consueverat (2). Neque diversitas opinionum circa doctrinas religiosas versantium apud *Judaeos* efficiebat, ut aditus alicui ad sacra publica intercluderetur. *Pharisaeorum* sectae fautores aeque ac *Sadducaei* ad ea admittebantur; imo et *Essenorum* dona in templo *Hierosolymitano* offerebantur (3). Nulla ergo fuit causa, cur Christi sectatores hoc jure privarentur, neque exstant documenta, ex quibus appareat, unam *Judaeorum* sectam (neque

(1) Vidd. loca *Act.* II, 46. III, 1. V, 12. Cff. Gieseler *Lehrbuch der Kirchengeschichte* T. I. p. 70. et Ph. Jac. Hartmann *de rebus gestis Christianorum sub Apostolis* p. 58. Nota 8.

(2) De Jesu religionis Mosaicae observatore vid. Hess *Lehre, Thaten und Schicksale unsers Herrn* P. II. p. 247—261. Edit. anni 1806.

(3) Vid. Josephus *Antiquitt. Judaic.* L. XVIII. c. 2. p. 617 G. Edit. *Genev.* 1634.

que alii tum habebantur *Christiani*) alteram a sacris publicis arcere voluisse.

Ex rei tamen naturâ necessario sequebatur, ut Jesu discipuli, *fratrum* nomine distincti, arctiori vinculo inter se jungerentur. Discrimen, quod inter ipsos et ceteros *Judaeos*, a Christo alienos, intercedebat, ejusmodi erat, ut sponte suâ frequentius quovis in loco ipsis commodo convenirent, et sic fundamentum jacerent sodalitii cujusdam, *ἐκκλησίας* nomine inde a primis temporibus celebrati (4). In sedibus privatis conveniebant, ut communi bono consulerent (5), et actibus religiosis se traderent (6). Arctiori conjunctioni *Christianorum* inter se imprimis favebat *communio*, quae dicitur *bonorum* (7); quod institutum in coetu, qualis fuerit *Hierosolymitanus*, ubi multi pauperes ad Christi castra se contulerant, imprimis necessarium erat. Ex hoc instituto prima, ut ita dicam, regiminis forma repetenda est, cujus vestigia in antiquissimo

(4) Jure dicit Planck *Geschiedenis des Christendoms gedurende het tijdvak van deszelfs eerste invoering* P. II. p 30. non adeo consilio peculiari adscribendum fuisse, ut Christi sectatores antiquissimi coetum separatum conderent.

(5) *Actor.* I, 13 sqq.

(6) *Actor.* IV, 31. XII, 12. Etiam hic afferri possint loca *Actor.* II, 42 et 46: ubi de *κλάσει τοῦ ἄρτου* fit sermo, siquidem de epulis communibus (*ἀγάπας* dicunt) intelligi debeat. Quod verosimillimum est. Cff. Kuinoelius ad haec loca et *Interpretes* ab eo citati.

(7) *Act.* II, 44, 45. IV, 34 sqq. Cf. Moshemii Dissertatio *de vera natura communionis bonorum in Eccles. Hieros.* inserta ejus *Dissertt. ad hist. Eccl. pert.* Vol. II. p. 1—53.

mo rerum Christianarum monumento occurrunt. Quisque videt, nos innuere institutionem septem *Diaconorum*, quibus demandabatur cura pauperum et stipum erogatio (8). Cum identidem coetui Christianorum regimen dandum esset, nihil facilius magisque rerum conditioni consentaneum erat, quam ut *Synagoga Judaeorum* exemplar iis praeberet (9). Inde mox occurrit mentio *Presbyterorum* (10), quibus non adeo docendi, quam quidem regendi provincia commissa fuit (11). Ne tamen quis rem sic sibi proponat, quasi *Apostoli* imprimis hoc egerint, ut formam conderent societatis *Judaicae* religioni oppositam. Rerum eventibus tandem effectum est, ut Christi cultores identidem a reliquis *Judaeis* distinguerentur (12). *Apostoli* autem nullo modo curarunt, ut ritus certos definirent, cultusque externi formam; unde merito concludi potest, optime ipsos cepisse mentem Christi, religionem suam vocantis Dei cultum *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* (13).

(8) *Act.* IV, 1—6. Cf. Gieseler l. c. p. 71. Nota. *d.*
(9) C. Vitringa *de Synagoga vetere* Lib. III. P. I. c. 1 sqq.
(10) *Actor.* XI, 30.
(11) Vid. A. Neander *Allgem. Geschichte der Christl. Relig. und Kirche* T. I. p. 285 sqq.
(12) Cf. Spittler *Grundrisz der Geschichte der Christl. Kirche* p. 34. Edit. 5.
(13) Cf. Planck l. c. P. II. p. 248—248.

§. 3.

§. 3. *De Christianorum Hierosolymitanorum numero et indole.*

Ut bene nobis imaginem informemus coetus *Hierosolymitani*, non abs re erit quaedam de numero hominum, quo constabat, in medium afferre. Notitias minime spernendas Lucas (14) nobis suppeditat. Scilicet narrat numerum eorum, qui Christo fidem haberent, die *Pentecostis* ad tria millia hominum accrevisse, donec tandem, non magno interjecto temporis spatio, numerum quinque millium efficeret. Non est, quod de hujus notitiae bonitate dubitemus. Sed bene tenendum, probari non posse, hos omnes sedem suam fixisse *Hierosolymis*. Multi certo fuerunt, qui tempore festi ad urbem venerant, exactâ solemnitate, in patriam redierunt. Porro hos homines nobis proponere non debemus Christi sectatores, quales deinde historia suppeditat, institutione accuratâ eruditos. Hujusmodi institutioni religiosae nec tempus aderat nec spatium. Quis nescit, quam facile vulgi mentes rebus insolitis in admirationem raptae, assensum rei cuidam praebeant.

Non-

(14) *Act.* I, 15. II, 41. IV, 4. Hoc in loco dicuntur multi credidisse, *καὶ ἐγενήθη ὁ ἀριθμὸς τῶν ἀνδρῶν ὡσεὶ χιλιάδες πέντε.* Quisque videt nos haec verba sic accipere, ut simul tria millia, de quibus agitur II, 41. intelligantur; non vero ut totus numerus sit octo millium. Est omnino in verbo *ἐγενήθη* (non vero *ἦν*) quod huic interpretationi favet. Si vero aliud voluisset Lucas, quidni vocabulo solito *προστίθεσθαι* (coll. II, 41. V, 14.) usus fuisset.

Nonne plures eorum, qui primo tempore ad *Christianorum* numerum accederant, eum *Messiam Judaeorum* habentes, fortasse dein, cum suas exspectationes successu carere putarent, ad pristinum vitae statum relabi potuerunt? Non satis prudenter ex computatione, quam Lucas habet, concluderetur ad numerum *Judaeorum*, qui coetui *Hierosolymitano* addebantur. Haec dicta ne quis sic interpretetur, quasi rei bene gestae pretium imminuere conaremur. Nemo prudens rerum factarum judex dubitabit de efficacia dictorum *Apostolorum*, res, quas ipsi conspexerant, annunciantium, et miraculis publice patratis, divinos se esse legatos, probantium. Ne tamen aliquis eo perveniat, ut fingat sibi successum, qualem nec rei natura nec historia probant.

Quod apud *Apostolos* locum obtinuisse vidimus, scilicet ipsos non nisi identidem ad puriorem et sublimiorem de Jesu doctrina cogitandi modum pervenisse, idem, imo et majori probabilitate obtinuisse apud *Judaeos*, qui eorum opera ad Christi partes perducebantur, quis inficias ibit? *Judaei* scilicet manebant, in eo solummodo a popularibus distincti, quod Jesum *Messiam Judaeorum* haberent (15). Quot opiniones huic genti

(15) Huc enim spectasse Petri orationem die *Pentecostali* habitam, ex ejus conclusione apparet „*Cognoscant itaque omnes* „Israelitae *Dominum et* Christum *hunc constituisse* „Deum, *hunc scilicet* Jesum, *quem vos cruci affixistis.*" *Act.* II, 36. Jesum Messiam confitentes in se quidem suscipiebant officium, mentem immutandi et abstinendi a vitiositate, cui emancipati erant reliqui homines (*Actor.* II, 38, 40. III, 19. IV, 12.) nec

genti propriae iis adhaeserint, vix definiri potest, et multae sane erant, quas nondum viderant cum indole religionis Christianae in concordiam redigi non posse. Etenim rei ipsius naturae consentaneum est, non facile homines missas facere opiniones, quibus inde a teneris sunt imbuti. Fuit tamen satis magnum discrimen inter ipsos, qui Jesu doctrinae fidem habebant, ceterosque *Hierosolymae* cives, neque conamina *Apostolorum* ad causam suam promovendam ejusmodi erant, ut diutius inimicorum animos a metu et irâ vacuos esse sinerent. *Judaeorum* principes ad novam doctrinam, quae plebem *Hierosolymitanam* turbaret, attendentes, rerum felici cursui obicem apponere studebant. Et his eorum studiis effectum est, ut magis magisque Christi discipuli a ceteris civibus separarentur.

§. 4. *De primâ vexatione, quam Hierosolymitana Ecclesia subiit.*

Sadducaei inprimis infensissimos novae disciplinae hostes sese ostenderunt (16). Ad hanc sectam summum imperium pertinebat (17). Neces-

nec tamen in eo quid erat, quod ipsos *Christianos* a *Judaeorum* religione et consortio publico separaret. De hisce *Judaeo-Christianis* majori etiam jure affirmari potest, quod Tertullianus de omnibus dicit *Apolog.* c. 42: „*Itaque non sine foro, non sine macello*, etc."

(16) *Act.* IV, 1. V, 17.

(17) Josephus *Antiqq. Jud.* L. XIII. c. 18. p. 454 A. XVIII. c. 2. p. 617 F. Iis faverat Joannes Hyrcanus

ejus-

cesse itaque fuit, eos tum imprimis novae doctrinae fautores, qui publicae quieti videbantur damnum allaturi, odio habuisse; quod certe non imminuebatur, cum audirent publicas eorum orationes de viro quodam ex mortuis redivivo agentes. Nomine, quo haec secta, tanquam crudelis in poenis exercendis, infamabatur (18), dignam se ostendit in agendi ratione, quam cum *Apostolis* sequebatur. Magnum discrimen ab hisce inimicis novae doctrinae sectatoribus imminebat. Summâ enim pollebant auctoritate et tanto furore ferebantur in homines inermes, ut prudenti consilio *Pharisaei* Gamaliëlis opus esset, ne ad summam violentiam in ipsos exercendam progrederentur (19). Metus plebis *Hierosolymitanae* certe in causis fuit, cur non statim consilium suum exsequerentur (20). Vulgi enim mutabilis favor Chri-

ejusque filii. Annas et Cajaphas etiam satis probabiliter hujus sectae fuisse dicuntur. (coll. *Act.* IV, 6. V, 17.) De Anano Joseph l. c. *L.* XX. *c.* 8. p. 698 A ipse affirmat. Ceterum qui plura de hac sectâ legere vult, adeat Nic. Serrarium in *Trihaeres.* p. 85—104. J. Drusium *de trib. sect. Jud.* p. 277—301. et J. Scaligeri *Elenchum* p. 413—421, qui simul editi sunt in *syntagmate de trib. Jud. sectis*, libro doctrinae copiâ referto, sed controversiae studio et litis amore pleno. Basnage *Histoire des Juifs*, T. II. p. 319—375. Prideaux *Het O. en N. verbond aaneengeschakeld*, T. II. p. 486—491. Edit. in 4to. Clericus *Hist. Eccles. a priorum a C. N. secul.* p. 12—15.

(18) *Sadducaei* a Josepho (l. c. L. XX. c. 8. p. 698 A) τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους dicuntur. Cf. idem *De bello Jud.* L. II. c. 12. in fine.

(19) *Act.* V, 34 sqq.

(20) *Act.* V, 26.

Christi discipulis concedebatur. Interdum horum numerus in dies augebatur; multi ex ordine sacerdotum assensum suum dederant (21), et vexationes quas furor *Sadducaeorum* excitaverat, nihil effecerunt, nisi quod animos oppressorum novo ardore implerent et societatem arctiori vinculo jungerent et distraherent a ceteris hominibus: nam majore amicitia jungi solent, quos commune malum calamitatis et periculi reddit consortes.

Non diu tamen serena dies illucescit *Hierosolymitano* coetui, graviore mox (22) procellâ omnia miscentur. Stephanus summo studio doctrinam Jesu defendere conatus, gravissimum odium adversariorum incurrit. Plebs etiam tumultuatur. Res ad synedrium refertur. Indignatio judicii occupat locum. Stephanus morte suâ cruentâ bonae causae praesidium affert, sibique honorem comparat, primum locum inter martyrum, qui di-

(21) *Act.* VI, 7. Non sine causâ Wagenaar (*Geschied. der Christ. Kerk in de 1ste Eeuw*, p. 131.) conjecit, inter hos sacerdotes fuisse, qui sectae *Pharisaeorum* favebant. Ejusmodi homines ad Christi partes accessisse, apparet ex *Act.* XV, 5.

(22) Quo anno mors Stephani obtinuerit, ambigitur inter viros doctos. Nec scriptionis consilium nec virium mediocritas sinunt, nos arbitros interponere litibus, hoc de argumento agitatis. Praecipuos hoc de argumento scriptores citatos invenies ap. Kuinoelium in *Prolegg.* ad *Comment.* in *Acta Apost.* p. 18. Nos autem horum sequi malumus opinionem, qui Stephani caedem ad annum 37 vel 38 referunt, cum Pilatus procurator a Vitellio *Syriae* praefecto a. C. 36 munere suo motus esset. Ejusdem sententiae est Basnage in *Annall. Politico-Eccles.* T. I. p. 459.

dicuntur, numerum obtinendi (23). Caede hac tumultuariâ perpetratâ, *Judaeorum* animi ad nova facinora feruntur, et primâ vice cives suos, qui nullo crimine tenebantur nisi eo, quod *Messiam* vocarent *Nazarenum*, vexare incipiunt. Ut violentiae cedant, *Hierosolymitani* ex urbe migrant et disperguntur per oppida et vicos *Judaeae* et *Samariae* (24) *Apostoli* vero in urbe remanent, unde satis probabiliter efficitur, non adeo publico edicto quam turbae populari hanc vexationem esse adscribendam (25). Fortasse hi viri plurimis fratribus, νηπίοις ἐν πίστει, consilium salutare dederunt, ut fugiendo adversariorum impetui cederent, cui resistendo nondum pares essent.

§. 5. *De minoribus coetibus per terram Judaicam et alibi congregatis.*

Hac fugâ *Christianorum* ex *Hierosolymis* effectum est, ut per ceteras urbes *Judaicae* terrae novi fautores religionis ipsorum congregarentur. Certo jam antea fuerunt extra *Hierosolymam* degentes, qui Christo sive *Apostolis* fidem dederant. Quis dubitabit, quin in tractu *Galilaeensi* plures exstiterint, qui nomine *Christianorum* salutari mererentur. Quod ad oppida attinet, quae in vicinio metropoleos sita erant, fama eorum, quae *Apostoli* faciebant, ad horum incolas per-

(23) *Act.* VI, 8 — 15. VII totum.
(24) *Act.* VIII, 1.
(25) Cf. Planck l. c. P. II, p. 50.

pervolaverat, et ad eos sanandi gratiâ suos aegrotos detulerant (26). *Apostoli* ipsi, qui fere omnes ex provinciis aliis oriundi erant, videntur ante haec tempora, quae nunc describimus, itinera fecisse per omnem *Palaestinam*, ut cognatos suos et familiares reviserent; et hac opportunitate disciplinae suae plures amicos reddidisse. Mentio porro *Christi* sectatorum *Damasci* congregatorum, facta jam statim post vexationem a *Judaeis* excitatam (27), suspicionem merito movet, jam ante hoc tempus ibi famam *Jesu* ejusque religionis quomodocunque pervenisse, mentesque *Judaeorum* quorundam sic affecisse, ut fidem haberent doctrinae recens ortae.

Imprimis tamen exsilio plurium *Hierosolymitanorum* attribuendum est, ut coetus *Christianorum* in aliis urbibus augeretur et dignitate et numero. Videamus jam paucis, quomodo hoc se habuerit per alia oppida *Palaestinae*. Operam dederunt novae religionis praecones, ut sectatores sibi compararent in urbibus in litore maris *Mediterranei* sitis. Felici successu usi sunt. Etenim inde a veteri terrâ *Philistaeorum* (28) usque in patriam *Phoenicum* disciplui Christi congregati sunt. *Lydda*, vicus non multum a litore distans, mi-

(26) *Act.* V, 16.
(27) *Actor.* IX, 2, 19.
(28) Dicitur enim Philippus Diaconus (*Actor.* VIII, 40) commoratus fuisse *Azoti* sive *Asdodi*, una e quinque urbibus primariis *Philistaeorum* (1 *Sam.* VI, 17.) et inde omnes urbes, (maritimas ut videtur), peragrâsse, donec *Caesaream* veniret.

miraculo a Petro facto illustratur (29). Amoenus tractus *Saronaeus* coetus *Christianorum* hic illic numerat (30). In frequentiâ, quam *Joppe*, portu suo celebris, exhibebat, *Christiani* celebrantur (31). *Caesareae* nomen, quod saepius antiqua ferunt monumenta, in annalibus rerum Christianarum Philippi *Diaconi* domicilio et Cornelii *Centurionis* praesidio illustratum vide-

(29) *Actor.* IX, 32 sqq. *Lydda* (Hebr. לֹד 1 *Chron.* VIII, 12. *Nehem.* XI, 35.) vicus fuit, sed urbi magnitudine non cedens (vid. Joseph. *Antiqq.* L. XX. c. 5. p. 692 D) non longe a *Joppe* dissita (*Actor.* IX, 38). Qui plura legere vult, adeat Relandi *Palaestinam* p. 877 sq. et Bachiene *Heilige Geographie*, T. II. p. 735—743.

(30) Fuisse vallem inter *Caesaream* et *Joppen* nomine *Saron* dictam, nemo dubitat; num et ibi urbs hoc nomine appellata fuerit, non item constat. Affirmat Bachiene l. c. p. 776. hoc efficiens ex *Actor.* IX, 35. ubi simul cum *Lydda* memoratur. Sed nihil exstat in *Hebraeorum* monumentis, quod urbem innuat. (vid. *Jes.* XXXIII, 9. XXXV, 2. ubi cum *Libano*, et *Carmelo* montibus jungitur). Unde potius sic accipimus, ut intelligatur tractus ille campestris et pascuis insignis, pagis et vicis pluribus refertus, quorum incolae Christi partes sequebantur. Amoenitas hujus regionis notissima est, nec quemquam fugit rosa *Saronitica*, *Cantic.* II, 1.

(31) *Actor.* IX, 36 sqq. Urbs *Joppe* (יָפוֹ *Hebr.*) nobilis portus *Palaestinensis* et emporium, ubi omnes naves, ex mari *Mediterraneo Judaeam* tendentes, appellere solebant. Salomonis tempore huic usui jam inserviebat (II *Chron.* II, 16.) Medio aevo, itinera peregrinantium in Sanctam sedem, versus hanc urbem dirigere solebant, et tum inprimis inclaruit. (vid. Bachiene l. c. p. 724 sqq.) Hodiernum hujus urbis statum satis miserum, delineatum vide apud Chateaubriant *Itinéraire*, T. II. p. 115—124. *Edit. Brux.* in 12mo, qui et p. 106 sq. vallis *Saroniticae* descriptionem dedit.

demus (32). Imo in finitimâ *Phoeniciâ* nomen Christi patronos invenit. *Ptolemaidos* coetus memoratur (33); et in litore *Tyri*, in quo per secula remotiora merces totius fere orbis cogniti exponi solebant, prostratos contemplamur, vota facientes cum Paulo, Christi cultores; et splendorem incomparabilem hujus urbis occidentem et nocti proximum, illustratum adhuc videmus luminis clarâ imagine, quam coelestis doctrina humano generi affundit (34).

Non

(32) *Caesarea* in litore maris sita, bene distinguenda a *Caesarea Philippi* in confinibus *Galilaeae* et *Trachonitidis*, ad fontes fluvii *Jordanis*, sic dicta a tetrarchâ Philippo Herodis M. filio (*Matth.* XVI, 13.) *Caesarea*, de qua hic agitur, antea *Stratonis turris* dicta, ab Herode in honorem Caesaris Augusti nomen accepit, et magnifice exstructa fuit (Joseph. *Antiqq. L.* XV. *c.* 13. p. 538, 9 et *de Bello Jud. L.* I. *c.* 16. p. 746, 7.) Nomen hujus urbis frequenter in *Actis Apostt.* occurrit. (Legg. loca apud Schleusnerum in *Lex. ad voc.*) Ibi praesides *Romani* sedem suam fixerant. Seriori tempore *Episcopi* hujus urbis memorantur, quorum in numero Eusebius historicus fuit. Cum *Hierosolymitana* Ecclesia *Patriarchatus* honore afficeretur, *Caesarea* una fuit e tribus Ecclesiis *Metropolitanis*, quae *dioecesin Patriarchae* efficerent. vid. Bechiene l. c. p. 793.

(33) *Actor.* XXI, 7. *Ptolemais* antiquitùs *Acco* (*Jud.* I, 31.) nomen habet ab uno Ptolemaeorum, Aegypti regum (forte a Ptolemaeo Lathyro, qui urbem cepit. Joseph. *Antiqq. L.* XIII. *c.* 20, 21.); cujus urbis maritimae situm descriptum vide apud eundem *de Bello Jud. L.* II. *c.* 9. p. 790. Atque ac *Joppe* Christianorum peregrinantium frequentiâ celebris fuit, et crebro occurrit ejus nomen in historiâ *crucesignatorum*. Vid. Doct. van Kampen *Geschied. der Kruistogten*, T. I. p. 299. sqq. II. p. 428 sqq. III. p. 38—49. IV. p. 270—275.

(34) *Actor.* XXI, 3—6.

Non sine causâ per urbes maritimas fautores suos quaesiverunt *Apostoli*. In eas solet, negotiandi gratiâ, ab aliis terris magna hominum frequentia confluere. Inveteratae opiniones non adeo locum obtinent in urbibus semper peregrinis repletis, et commercium, quo inter se junguntur omnes, facilem aditum exhibet novae doctrinae ad homines varii ordinis et aetatis (35). Deinde hoc modo opportunitas iis data est, qua et extra *Palaestinam* dispergeretur religio Christiana. E *Phoeniciâ* in insulam *Cyprum* commodus fuit trajectus, et in eam pervenisse quosdam ex iis, qui *Hierosolymis* expulsi fuerant, Lucas narrat (36). Tanto successu res Christiana usu est, ut *Apostoli* ipsi per novos coetus circumirent, praesentiâ suâ discipulos recens acquisitos confirmantes et docentes (37).

Samaritani etiam a doctrinâ Jesu haud alienos se praestiterunt (38). Nihil erat, quod *Apostolis* eorumque sociis dubium moveret, quo minus hos

(35) Hujus observationis bonitatem leviter modo perlustrata historia Ecclesiae Christianae probabit. Felici successu praecipue usi sunt ejus doctores, in urbibus peregrinorum numero frequentatis et mercaturae celebribus. *Antiochiae*, *Alexandriae*, *Ephesi*, *Corinthi*, *Carthaginis* nomina citare sufficit. Idem probat seculi 16 historia. In ejusmodi locis *reformatores* facillime sectatores nacti sunt. Hoc nomine celebres factae sunt inter alias *Magdeburga*, *Norimberga*, *Francofurtum ad Moenum*, *Embda*, *Antverpia* etc. Cf. celeb. J. Clarisse *Gedenkwaard. uit het leven der Apostelen.* p. 235

(36) *Actor.* XI, 19.

(37) *Actor.* VIII, 14 — 25.

(38) *Actor.* VIII, 5 sqq.

hos homines, religionis formâ cum *Judaeis* junctos, ad doctrinam novam amplectendam invitarent. Odium, quo *Judaei* in hanc gentem flagrabant, jam evanuerat in animis *Apostolorum*, memorum eorum, quae Magister optimus cum *Samaritanis* egerat (39). Ipse suo exemplo praeiverat, neque aliquid fuit, quo arcerent illos a numero *Christianorum*. Digna est, quae notetur, haec res. Apparet enim ex eo, non adeo pravis popularium opinionibus de summâ suâ dignitate inter gentes indulsisse *Apostolos*, et admittendis *Samaritanis* in numerum Christi sectatorum, via jam quodammodo strata est et aperta, quâ deinde ad Gentes ipsas notitia *Euangelii* perveniret. Penuria monumentorum, in qua, quod ad haec tempora, versamur, vetat, quo minus plura de hisce coetibus in *Palaestinâ* dispersis notemus; sed non sine causâ quis diceret, coetum *Hierosolymitanum* matris quasi et dignitatem et auctoritatem apud reliquas ecclesias sustinuisse; has itaque ad ejus exemplar se conformâsse. *Apostoli* enim, qui rei ipsius naturâ, principes fuerunt in novo rerum ordine, numero plures aut minores sedem fixerant in urbe *Judaeorum* primariâ; quam hoc modo in primordiis rerum Christianarum ceterae omnes reverebantur et honore prosequebantur.

§. 6.

(39) *Joan.* IV, 5 sqq.

§. 6.

De fortunâ prosperâ et adversâ, qua Palaestinenses deinde usi sunt.

Tanto citius et tutius per *Palaestinam* propagari potuit doctrina Christi, quanto major fuit securitas, qua hoc tempore fruebantur *Christiani* (40). Vexationis furor post Stephani martyrium exortae identidem sedatus est, et mala, quibus omnes *Judaei* mox expositos se conspexerunt, impedimento iis fuerunt, ne progressum *Christianorum* turbarent. Cajus Caligula per totum sui regni tempus, quod quatuor fere annorum fuit (41), infestum animum in *Judaeos* ostendit. Insanus ille homo divinitatem adeo sibi arrogans, magnum terrorem *Judaeis* injecerat mandato suo, quo statuam suam in templo *Hierosolymitano* collocari juberet. Petronio *Syriae* praefecto injungitur ab Imperatore, ut, exercitu collecto, vi armorum efficeret, quod obstinata *Judaeorum* mens prorsus recusabat. In diem ingruente periculo, toti fuerunt *Judaei* in fatigando precibus suis *Romani* animum, ut a cruento suo pro-

(40) Tranquilla haec sors Ecclesiarum *Palaestinensium* laudatur *Actor.* IX, 31.

(41) Regnavit enim ab Ao. C. 38 ad annum 42 usque. Referente Suetonio in *Calig.* c. 59. „*Imperavit triennio et decem mensibus diebusque octo.*" Interfectus autem est Nono *Calendas Febr.* vid. *id.* c. 58. et cf. Tillemont *Histoire des Empereurs*, T. I. P. I. p. 302.

proposito desisteret. Benevolentiâ et mansuetudine Petronii bellum, quod jam exardescere coeperat, compressum est; et mox tyranno interfecto, omnis timoris causa feliciter cessit (42). Haec autem tempora tumultu et metu plena, ut saepius factum deinde, profuerunt Christi sectatoribus, qui in tranquillo statu positi rebus suis optime consulere potuerunt.

Per breve temporis spatium novum discrimen *Christianis* imminuit. Agrippa Rex a Caligula creatus (43), *Judaeorum* captans favorem vexare coepit Ecclesiam. Jacobi Zebedeidos fatum cruentum signum quasi dedit novis calamitatibus. Petrus in carcerem conjicitur, sed miro modo servatur, tristibusque suis fratribus redditur. Mox ipse Rex diem obiit supremum (44), et sic divinâ providentiâ cautum est cultoribus Christi, ne malo imminenti succumberent. Haec vexatio non adeo atrox in omnes fuisse vide-

(42) Historiam hanc enarravit Josephus *Antiqq.* L. XVIII. c. 11. p. 649 sqq. *de Bello Jud.* L. II. c. 17. p. 790 sqq. Vividam imaginem calamitatum, quibus hoc tempore per Caji dementiam expositi fuerant *Judaei*, expressit etiam Philo in *Legat. ad Cajum.* Conferri potest Stuart *Romeinsche Geschied.*, T XV. p. 353 — 363. Edit. 2.

(43) Statim post mortem Tiberii, Agrippa a Caligulâ rex salutatus (Joseph. *Antiqq.* L. XVIII. c. 17. p. 637.) mox a Claudio totum regnum paternum accepit, (Ibid. L. XIX. c. 2. p. 673.) Nec ante annum 41 itaque in *Judaeam* venit. Vid. Clericus *Hist. Eccles.* p. 349.

(44) Anno Christi 44. — Historiam narrant Lucas in *Actis* XII, 20—23. Joseph. *Antiqq.* L. XIX. c. 7. Regnaverat 7 annos, 4 sub Caligulâ, 3 sub Claudio.

detur, nec ultra fines *Hierosolymae* se extendisse (45).

Perlustravimus jam praecipua fata, quae coetui *Palaestinensi* obtigerunt; elapsum est spatium duodecim fere annorum inde a tempore, quo Jesus Christus has terras reliquit. Est omnino, quod felicem miremur successum, quo nova usa est disciplina. Jam argumenti et rerum factarum ratio in ampliorem nos vocat scenam. Pervenimus ad illud tempus, quo et inter *Gentes* Jesu religio fautores suos invenit (46). Antequam vero hunc eventum contemplamur, necessarium putamus, ut breviter rationem subducamus omnium ante dictorum. Perspectâ enim ac bene expositâ conditione primorum *Christianorum* a *Judaeis* oriundorum, facilius et causas explicabimus mox insecutae controversiae cum fratribus suis e gentibus, et pretium melius sentiemus eorum, quae mox locum obtinuerunt, eventuum.

§. 7. *Dicta breviter in summam rediguntur.*

Primum nobis haec observatio, digna cui attendatur, subit, historiam primae propagationis *Eu-*

(45) Efficimus hoc ex verbis Lucae ipsius, qui *Actor.* XII, 1. dicit, Agrippam manus injecisse, *κακῶσαί τινας τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας*, scil. *Hierosolymitanae*.

(46) Neminem certe offendet, nos Cornelii *Centurionis* conversionem hic silentio praeteriisse, et in Agrippae tempus historiam hoc capite protraxisse. Malumus enim jungere quae argumenti ratio connectit, quam temporis observantiâ varia inter se miscere.

Euangelii nihil suppeditare, ex quo appareat, *Apostolos* consilio quodam satis definito et accurate proposito fuisse ductos in promovendâ religione Christianâ. Ne tamen quis hoc invidiosius in ipsos dictum habeat. Est omnino consilium sapientissimum et divinâ mente dignissimum, quod sibi proposuit optimus Servator, ut doctrina sua ad omnium hominum notitiam et emolumentum veniret. At vero non adeo hoc elucet ex primâ propagatione, quam historia nobis exhibet.

Nolumus ajendo sive negando dirimere quaestionem, an *Apostoli* statim sublime hoc consilium, quod menti **Christi** obversatum fuerat, plene intellexerint. Sed sive bene intelligentes prudentius occultârint, donec opportunum afforet tempus, sive identidem ad consilium hocce, toto suo ambitu capiendum, se evexerit animus ipsorum; historia ostendere videtur, rerum adjunctis se accommodasse *Apostolos*, et eventuum cursui commisisse agendi suam rationem. Prudenter et sapienter egisse existimari debent. Fideliter exaequebantur Magistri mandatum, quo jussi sunt, initium propagandae doctrinae ab *Hierosolymis* facere (47): non tamen festinârunt, *Judaeo* populo doctrinae ipsorum obnitente, ut ad Gentium reliquarum notitiam perducerent. Et forte *Apostoli* non nisi, longo elapso temporis spatio, propagandae religioni operam dedissent, si rerum adjunctarum efficaciâ et pon-

(47) *Luc.* XXIV, 47. Cf. de hoc argumento **Muntinghe** *Geschied. der menschheid*, T. X. p. 86, 87.

pondere huc non fuissent quasi manu ducti. Primi certe *Christiani* ex *Judaicâ* stirpe orti, hujusque nationis opinionibus repleti, non ii fuerunt, qui facile gentes alias ejusdem juris ac privilegii participes redderent eo sensu, quo satisfieret indoli et naturae Christi disciplinae. Eventus satis superque docuit.

Deinde vidimus, primum omnium ac praecipuum *Christianorum* coetum *Hierosolymis* congregatum, et, ut ita dicam, conjunctum cum arce et sanctuario populi *Judaici*. Ab unâ parte ex hoc eventu oriri debebat arctior conjunctio cum veteris religionis patronis, unde opiniones plures, verae Christianae religionis indoli minus consentaneae, in ipsius doctrinae fautores, etiam futuros, migrârunt. Ab alterâ vero parte quaedam bona et hisce primis temporibus utilissima ex hac conjunctione orta sunt (48). Nova religio primordio debilis et fluctuans, invenit fulcrum et basin, cui inniti posset. Vexationes *Judaeorum* non effecerunt, ut a suo propugnaculo dejiceretur, et simul hanc vim habuerunt, ne iterum novi *Christiani*, otio corrupti, cum civibus suis plane coalescerent, sed memores essent, se ad altiora vocatos esse. In hac urbe porro sedem fixerant *Apostoli*, a quibus cum omnis bene gestae rei successus penderet, hos necesse fuit primo tempore eodem in-

(48) Optime omnino *Judaicam* gentem inserviisse, ut apud illam religio Christiana ortum haberet, observavit Herder *Ideen*, T. II. p. 303 sq. Edit. 2.

in loco manere. Novae religionis initia cum inter *Judaeos* locum obtinuerint, ab hac gente *Christiani* primi, summum illud studium propagandae et defendendae suae religionis accipere potuerunt. Odium illud vehementissimum, quo *Judaei* erga idololatras flagrabant, residens in animo *Christianorum* aptos hos reddebat ad bellum sustinendum contra superstitionem varii generis, quae inter nationes obtinebat. Purior illa doctrina, qua gens *Judaica* gaudebat, materiem exhibebat *Christianis* quam ulterius possent elaborare; et omne illud quod propagationi Mosaicae religionis necessario impedimentum crearet, sublimiori auferebatur indole Christianae doctrinae, quae nullo modo multorum rituum observatione ac praeceptorum, locis temporibusque adstrictorum pondere premebatur, sed liberum expeditumque accessum inter omnes gentes habebat (49).

Denique cum constet, quam carae et acceptae soleant esse opiniones, quibus a teneris imbuti sunt homines, suspicari jam licet, controversiis multis et lucta multiplici opus fuisse, antequam ex-

(49) Nexus, qui inter *Judaeos* et *Christianos* intercederet, quid emolumenti horum rebus attulerit, acute exponit Gibbon *History of the decline and fall of the Roman Empire*, T. II. p. 264 sqq. Edit. *Lond.* a. 1818. quem virum egregium Theologi quidam et minus intellexerunt et iniquius tractarunt. Pulcre dixit p. 270. „*Christianity offered itself to the world, armed with the strength of the mosaic law, and delivered from the weight of its fetters.*"

ex Christi consilio, gentes aliae participes fierent bonorum, quae ipsis destinavisset. Cum tot jam *Judaei*, Christi disciplinae fidem dederant, metuendum fuit, ne primi, qui e Gentibus ad Christi partes se conferrent, a *Judaeis* opprimerentur, et, cum novâ doctrinâ, horum amplecterentur instituta. Vehemens bellum inter ambas partes exarsit, ancipite Marte diu gestum, tandem vero compositum, *Judaeo-Christianis* ruinae devotis. Hujus spectaculi contemplatio jam nos ad se vocat. Varii et magni casus mentem nostram suspensam tenebunt. Sed tandem ex hac turbarum voragine germana religio nostra clariori cum luce emersit, et, quidquid fecerint homines, quidquid male seduli afferre conati sint, *Χριστοῦ δ' ἐτέλεσεν ἐφετμάς*.

❁

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE JUDAEO-CHRISTIANISMO INCRESCENTE, ET LITES ET CONTROVERSIAS AGENTE CUM ETHNICO-CHRISTIANISMO.

§. 8. *De Judaeorum opinionibus circa gentes versantibus.*

Quemadmodum ille, qui belli cujusdam eventus et varios casus conscripturus, in utriusque partis conditionem et vires, quibus praeditae sunt, inquirat, nexumque et necessitudinem, qua ante bellum inter se junctas fuerunt, exponat; sic nos narrationem exhibituri pugnae et controversiae inter duas opiniones sibi invicem oppositas, necesse duximus, causas hujus pugnae in medium afferre, primamque aperire originem, unde tantae irae animos occupaverint. *Judaica* gens prima oculos nostros ad se trahit, et operae pretium facere existimamus, si breviter exponamus, quales opiniones hi homines foverint de *Gentilibus* proprie sic dictis. Hoc descripto, cau-

sae in promptu erunt, propter quas primi *Christiani*, e *Judaeis* orti, tam infesto animo erga ceteras gentes ferebantur.

Divino numine sic constitutum fuit, ut religio, qua gaudebat proles Abrahami, viam sterneret, qua omnes omnino homines tandem ex superstitionis et impietatis vinculis eriperentur, et ad veram germanamque cognitionem et felicitatem perducerentur. Benigno hoc consilio Deus O. M. Israëlis prosapiam in peculium sibi adscivit, et bonum hoc apud illos deposuit, formaeque compagine instruxit, ut tempore statuto, relictis involucrorum impedimentis, hoc bono fruerentur omnes reliquae Gentes. Hujus consilii divini mentem satis clare expressit promissio Abrahamo facta. „Fore aliquando, ut ipsius progenies omnibus terrae gentibus summae felicitatis praeberet materiam (1)." At vero insecuta fata populi *Israëlitici* ejusmodi fuerunt, ut laeta haec spes magis obscuraretur, quam novâ luce affunderetur. Hanc gentem rituum morumque singulari institutione a ceteris hominibus separari curavit Deus. Nemo exterarum gentium bonorum, quibus *Judaei* gaudebant, particeps fieri potuit, nisi ipse *Judaeus* plane fieret. Identidem in scriptis vatum futura canentium, laetae exspectationis, quam promissio Abrahamo facta exci-

(1) *Gener.* XII, 3. XVIII, 18. XXII, 18. Promissio repetita Isaaco XXVI, 4. Jacobo XXVIII, 14. — Cf. Planck l. c. P. I. p. 70 sqq. et imprimis Hess vom *Reiche Gottes*, P. I. p. 116 sqq.

citaverat, quasi lineamenta ulterius produci videmus. Sed qua ratione? Ita, ut populus *Judaicus* omnium gentium caput et princeps (2), felicissimâ sorte beatus, hisce omnibus opportunitatem praeberet, qua religionis Mosaïcae, et felicitatis cum ejus observatione conjunctae, fierent participes. Summo flore, ex horum prophetarum descriptione, tum gauderet institutio antiqua rituum, sacrificiis solemnibus eorumque antistitibus insignis (3). Mons sacer *Sioniticus* aeterno gauderet honore, et ad eum ab omni terrarum parte confluerent Gentes, Jehôvam adoraturi (4). *Judaei*, ut ita dicam, forent dispensatores beneficiorum, quae ipsis commisit Numen suum, poenaeque manerent gentes, quae recusarent agnoscere Jehovae populique, quem elegit, dignitatem (5). Tales imagines, nationi privilegiis suis superbienti propriae, magnam efficaciam in *Judaeorum* animos non exserere non potuerunt. Cuinam itaque mirum accidet, si tales opiniones, temporum lapsu productas et sacratas, altis radicibus in *Judaeorum* mente infixas inveniamus, nec facile ex eorum animis evellendas (6).

No-

(2) *Jes.* XIV, 2. LXI, 5—7.

(3) *Jerem.* XXXIII, 18, 20, 21.

(4) *Jes.* II, 2 sqq. *Micha* IV, 1 sqq. *Jes.* LXVI, 19 sqq.

(5) *Zachar.* II, 11. VIII, 21—23. XIV, 16—21. Plura loca e prophetis colligere non vacat; allata enim sufficiunt ad dicta nostra confirmanda. Dignus ceterum est, qui hoc de argumento legatur, Hezzius l. c. p. 297 sqq.

(6) Quales notiones Jesu doctrina et fata apud homines ejus-

Notissimum illud „*adversus omnes alios hostile odium*", qua notâ *Judaei* inuri solent (7), nemo invidiosius existimabit, qui hujus populi indolem et historiam cognoscat. Quemadmodum hoc ipsum in priori rerum statu multis emolumentis inserviebat, sic jam noxas multiplices afferre necesse erat, cum Christi doctrinae sese adjungeret. Solis *Judaeis* divini favoris indicia promissa fuerant ex ipsorum opinione. Si gentes haec nancisci cupiunt, fiant *Judaei*, neque alio modo iis frui sustineant. Haec fuit sentiendi ratio *Judaici* hominis, nec modo arctioris ingenii viri, sed adeo optimorum ex hac gente, pristina divinaque instituta magni habentium. Siquidem temporibus hisce, quibus per plures terras dispersi fuerant *Judaei*, non spernendo numero *proselytorum*, qui dicebantur, gloriabantur, prosper hicce successus non adeo humano et sociabili gentis ipsius ingenio adscribendus videtur, quam potius vanitati polytheismi, quae sanioris mentis hominibus fastidium creaverat, attribui debet (8).

§. 9.

modi imbutos opinionibus afferre debuerint, egregie exposuit Cl. Gieseler in tractatu de *Nazaraeis et Ebionaeis* in Stäudlini et Tzschirneri *Archiv für a. und n. Kirchengeschichte*, T. IV. p. 303—306.

(7) Tacitus *Histor.* L. V. c. 5.

(8) De *Proselytis* multa congessit Basnage *Histoire des Juifs*, Lib. VI. c. 5, 6. Vol. V. p. 113 sqq.

§. 9. *De consilio, quod* Christus *sibi proposuit, doctrinâ suâ evulgandâ.*

Tales fuerunt *Judaei*, quales descripsimus, etiam cum Jesus Christus inter ipsos versabatur. Facile concedit quis, Ipsius consilium cum ejusmodi opinionibus de maximâ hominum parte, in concordiam redigi non posse. Divinum, omnes omnino spectans, propositum prorsus hisce oppositum fuit. In hominum frequentiam progressus, non statim disertis verbis annunciavit Servator, se hoc spectare, ut, pristinâ oeconomiâ obsoletâ, sua religio omnes homines sine ullo discrimine conjungeret; subinde vero tales emisit voces, quae hoc consilium extra dubium ponant (9). Sapientia Ipsius omnino in hac agendi ratione admiratu dignissima est. Jam in primordiis vitae suae publicae se tale quid spectare innuit. Cuinam hic in memoriam non redibit solemne effatum, quod foeminae illi *Samaritanae* dixit. „ Affore tempus, quo neque in monte *Garizitico* neque *Hierosolymis* locus veri Dei cultui sacratus esset, sed omnes Patrem adorarent *ἐν πνεύ-*

(9) Memoratu dignum est, Christi effata hac de re in Euangelistarum narrationibus sic occurrere, quasi ipsi nondum plane horum sensum intellexerint. Proponunt, quemadmodum res narrata ipsa ferebat, non attendentes ad pretium et ambitum ejusmodi dictionum. Unde ipsa lectio *Euangeliorum* optime refellit eum, qui suspicaretur, a Jesu sectatoribus deinde consilium latius detractum et magistro suo affictum fuisse.

πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ (10)." Voluit quidem ut ante omnia doctrina sua ad notitiam civium suòrum perveniret (11) et hoc sibi ipse munus proposuit; sed simul se omne genus humanum spectâsse, luce clarius ostendit agendi modus ejus erga exteros, quibuscum in vitae cursu consuetudinem habuit (12). Idem docent plura ipsius dicta, e. g. cum disertis affirmat verbis „ab omnibus terrarum orbis partibus homines suae religionis bonorum participes futuros, rejectis ipsis *Judaeis* (13). Imprimis late hoc spectans consilium definivit mandans discipulis suis, ut omnes nationes doctrinam suam docerentur et tanquam sectatores solemni modo initiarentur (14). Futuram cladem templi *Hierosolymitani* totiusque *Judaeorum* reipublicae vaticinatus, satis probavit, se

(10) *Joan.* IV, 20—24.

(11) Diserte hoc elucet ex *Matth.* V, 17—19. X, 5. XV, 5. Quam prave ex his locis efficeretur, nullum plane aliud sibi proposuisse Jesum, quam religionis popularis instaurationem, docuit Reinhard *Proeve over het plan* etc. p. 13—20 edente ven. Wolterbeek. Siquidem hoc fuerit Jesu consilium, vix intelligi possit, quomodo tam parvi fecisset, quae *Judaeis* tanti habebantur, *Sabbathi* e. g. observationem (*Matth.* XII, 8. *Luc.* VI, 5), traditiones proavorum auctoritate sacratas (*Matth.* V, 21 sqq. XV, 1—9. XXIII, 1—39) *proselytorum* acquirendorum studium (*Matth.* XXIII, 15) alia, quae memorare non vacat.

(12) Exempla pete a Reinhardo l. c. p. 29—31.

(13) *Matth.* VIII, 11, 12. *Luc.* XIII, 24—30. *Joan.* X, 16. Cf. Planck l. c. P. I. p. 76 sqq. et imprimis praeceptor aestimatissimus Cl. van Voorst *over de koninklijke waardigheid van J. C.*, p. 76 sqq.

(14) *Matth.* XXVIII, 19. *Act.* I, 8. *Marc.* XVI, 15.

se novam religionem suam nullo modo pendentem facere ab institutis *Mosaicis* (15). Nec omitti debet, totius doctrinae, quam proposuit, indolem sic comparatam fuisse, ut non unam modo nationem, sed *omnes* simul spectaret (16).

Tale fuit consilium, quod religionis Christianae auctor sibi proposuit. Quantum autem discrimen jam videmus inter hoc ipsum et modum, quo *Judaei* ceteros populos contemplari solebant. Nihil in Christi dictis et factis reperimus, quod vanis somniis *Judaeorum* faveret; omnia sic comparata sunt, ut nationis hujus fastui et arrogantiae prorsus incurrant. Ex hac diversitate magnam opinionum controversiam et dissidium suspicari nobis licet. Plures jam *Judaei* Christi sectatores se esse confessi fuerant: sed secum tulerant praeoccupatas opiniones circa gentium dignitatem; neque *Apostoli* ipsi, primis temporibus, ab hisce plane alienos se praestiterunt. Historia jam dicta nostra probabit.

§. 10. *De* Cornelio *primo gentilium ad* Christum *converso.*

In urbe *Caesarea* Centurio quidam Cornelius nomine, vir pietate insignis verique Dei cultûs amantissimus, primus (17) omnium, quantum

(15) Vid. Reinhard l. c. p. 27 sq.

(16) Vid. Idem l. c. p. 40—43.

(17) Eunuchum enim *Aethiopem*, Philippi operâ ad Christi partes perductum (*Actor.* VIII, 27 sqq.) *Judaeum* aut a *Ju-*

tum scimus, in *Palaestinâ*, ad Christianam religionem a superstitione externâ convertitur (18).

Notandus est hicce eventus, et paululum in eo subsistemus, inquirentes, cujusnam fuerit pretii ad consilium religionis Christianae perficiendum. Ex narratione Lucae apparet, quantis difficultatibus obluctandum fuerit, antequam gentilis quis, nondum *proselytorum* ordini adscriptus, in societatem *Christianorum* admitteretur. Fuit nodus Deo vindice dignus. Itaque providâ Dei curâ effectum est, ut animus Petri ad rem insolitam efficiendam praepararetur (19). Exinde elucet, quam altis radicibus opinio haecce *Judaica* etiam infixa fuerit menti *Apostoli*, qui magistrum audiverat dicentem. *Discipulos mihi reddite omnes gentes!*" In omni eventu Petrum magis divino impulsui obsequentem cernimus, quam sponte suâ ductum. Mentem se jam mutâsse indicat ipse dicendo. „ *Revera jam intelligo*, Deum *non respicere personas*, *sed ex quavis gente qui eum revereatur*, *et virtutis studi-*

Judaeis ad religionem ipsorum conversum fuisse, non facile quis negabit, neque assentietur Eusebio, hunc (*Histor. Eccles.* L. II. c. 1 in fin.) dicenti πρῶτον ἐξ ἐθνῶν τὰ τοῦ θείου λόγου ἔργα μετασχόντα, τῶν τε ἀπὸ τῆς οἰκουμένης πιστῶν ἀπαρχὴν γενόμενον. Cum quo tamen facit Schröckh *Kirchengeschichte*, T. II. p. 92.

(18) Quaestio mota fuit, num Cornelius fuerit *proselytus* non circumcisus, nec ne? Hanc dirimere jam non adeo curamus; sed ut nos in horum opinionem inclinemus, qui negent, varia argumenta adduxerunt, quae exposuit Kuinoelius in *annot. ad Actor.* X, 2.

(19) Visione illâ, quam descripsit Lucas *Actor.* X, 9 sqq.

giosus sit, gratum et acceptum ei esse!" (20). Antea enim se nefas putâsse, cum *Judaeus* esset, commercium habere cum Gentili homine, ipse confessus est (21). Postquam doctrinam, de Jesu *Messiâ*, Cornelio et ceteris ejus familiaribus exposuerat, vidit eos Spiritûs sancti donis affectos, inque sacrum furorem raptos. Hoc indicio victus, ritu solemni ipsos in numerum Christi sectatorum recipit (22). Hoc autem modo prima quasi fundamenta jacta sunt, quibus innixa propagatio religionis Christi inter gentes ulterius procederet.

Necessario hic eventus *Judaeo-Christianorum* mentes attentas reddere debuit. Plures dicuntur Petrum comitati fuisse, desiderio certe ducti, ut non opinatum eventum suis oculis cernerent (23). Mirum rerum exitum videntes, *Joppenses* hi *Christiani* Petro obsistere non cogitarunt. Idem vero non obtinuit apud *Hierosolymi-*

(20) *Actor.* l. c. 34, 35.

(21) Ibid. 28. Nulla qnidem lex in Mosaicâ institutione exstat, quae hoc vetuit, sed male sedula doctorum studia hoc addiderant praeceptum. Apparet jam ex eo, quam germanum *Judaeum* horum temporum hic praestat se Petrus. Vid. Cl. v. d. Palm in *nota ad Act.* XI, 3. Notandus est rarior usus vocis ἀλλόφυλος in hoc commate, quae tantum in N. T. hic occurrit. Significatio satis plana est, proprie *qui alius est tribûs*, inde *alienigena, non Judaeus.* In versione τῶν ο' plerumque inservit ed interpretationem vocabuli פְּלִשְׁתִּי *Philistaeus.* De quo cf. Gesenius in *Hebr. Handwörterbuch* ad vocem פְּלֶשֶׁת.

(22) *Actor.* l. c. 44—48.

(23) Ibid. 23 et 45.

mitanos, qui, rerum gestarum nuncio audito, *Apostolo* succensuerunt, quod ita egisset (24). Petrus igitur cum *Hierosolymam* venisset, necesse habuit, ut agendi suam rationem defenderet. Totius rei narrationem necessariam duxit, quam forte, ut fit, ab aliquo non sine irâ et studio acceperant. Spiritûs doni mentione factâ, sic orationem concludit. *Cum igitur* Deus *donum Spiritûs sancti aeque ac nobis, iis, postquam fidem habuerunt Domino* Jesu Christo, *concessit, qui tandem ego poteram* Deo *repugnare* (25)? Hujus orationis hic fuit eventus, ut auditores exasperati, tacerent et in laudes Dei erumperent, quem et *Gentilibus* salutis partem concedere voluisse, reperierunt. Magni omnino momenti fuit haec conversio Cornelii, imprimis, quod in eâ indicia inessent, voluntati divinae contrarie agere, qui nollet *Gentiles* in Christianam recipere societatem, nisi antea *Judaeorum* sacra amplexi fuissent. Locum obtinuerat in urbe, ubi maxima pars incolarum *Gentiles* erant (26); sic enim illustre hoc exemplum novam

(24) Ibid. XI, 1, 2, 3. *διεκρίνοντο πρὸς αὐτὸν οἱ ἐκ περιτομῆς*, *altercati sunt, litigaverunt cum eo Judaei.* Hoc usu verbi cum πρὸς vel Dativo (uti *Epist. Jud.* 9) indicatur non modo *opinionum discrimen*, sed *lis* adeo et *rixa*. Vid. Schleusner in *voce διακρίνω*, n°. 7.

(25) *Actor.* l. c. 17. ubi *πιστεύσασιν* — *Χριστὸν* cum *αὐτοῖς* jungimus, ne Petrum, siquidem ad ἡμῖν referatur, superfluum plane quid dicentem faciamus. Vid. Kuinoelius ad h. l.

(26) Testatur hoc Josephus *de bello Jud.* L. III. c. 28. p. 854. dicens *Caesaream τὸ πλέον ὑφ' Ἑλλήνων ἐνοικουμένην.* Hanc ur-

vam religionem ceteris incolis summopere commendare potuit, quibus simul dubium ereptum fuit, num antea *Judaei* fieri deberent. At vero num sors horum *Christianorum* satis laeta futura esset in *Palaestinâ* ipsâ, annon *Judaeo-Christiani*, numero ipsis majores, tandem difficiliores fieri potuissent domini, dubitandi locus est respicientibus obstinatam atque opinionum tenacem hujus populi mentem, eaque, quae deinde etiam *Mosaicae* institutionis studiosores moliti sunt, animo volventibus. Sed novus rerum ordo hoc tempore, quo jam versamur, firmius invenit stabilimentum extra *Palaestinae* fines, quod rebus *Gentilium* eximie profuit, lancesque aequas reddidit sic Numen divinum, iisque „imponit fata diversa duorum."

§. 11. *De coetu Antiocheno ejusque primordiis.*

Argumenti nostri ratio jam requirit, ut oculos conjiciamus versus *Antiochiam*, celeberrimam hanc *Syriae* civitatem. Hanc urbs, quam condidit primus regum *Syro-Macedonum* Seleucus Nicator, novi ejus imperii metropolis constituta fuerat (27). Sita fuit ad fluvium *Orontem*, per quem

urbem ceterum incolis frequentatam fuisse, exinde apparet, quod uno die ibi 20,000 *Judaei* mactati sint a *gentilibus*, qui numero eos superarent, vid. *id.* ibid. L. II. c. 32. p. 813.

(27) Strabo *Geograph.* Lib. XVI. c. 2. T. III. p. 356. edit.

quem facilis aditus ad urbem navigiis dabatur (28). Seleucus incolarum numerum insigniter auxerat, traductis illuc habitatoribus *Antigoniae* nuper conditae, non longe a suâ urbe dissitae etiam in ripâ *Orontis* (29). *Antiochia* quatuor constabat partibus, singulis suis moenibus cinctis, sed omnibus uno simul muro inclusis. Identidem *Seleucidarum* imperio aucta fuit, et duas harum partium urbis addiderant Seleucus Callinicus et Antiochus Epiphanes (30). Tandem cum regnum hocce cum ceteris, *Romanorum* victricibus armis cedebat et *Syria* a Cn. Pompejo in provinciae formam redigebatur (31), *Antiochia* nullum detrimentum accepit, sed etiam sub ditione *Romanorum* hujus *Asiae* partis metropolis habebatur. Strabo *Geographus*, qui eam viderat tempore Augusti, narrat, hanc civitatem non cessisse magnitudine *Seleuciae* ad *Tigrim* sitae neque *Alexandriae Aegypti* (32). Diu

edit. *stereot.* Appian. in *Syr.* Just. *Hist. Philipp.* L. XV. c. 4.

(28) Strabo hoc dixit ibid. p. 356. Ἀνάπλους ἐκ θαλάττης ἐστὶν εἰς τὴν Ἀντιόχειαν αὐθημερόν.

(29) Antigonus urbem a suo nomine dictam condidit Ao. a. C. N. 307. Vid. Diodor. Sic. L. XX. c. 47. Sed locum cedere mox debuit novae *Antiochiae*, ut conditor ejus victori Seleuco. Diodorus l. c. ait incolas ejus *Seleuciam* traductos fuisse; Strabo vero l. c. p. 355 *Antiochiam*. Sed nihil video, cur utramque narrationem non accipiamus, et statuamus incolas *Antigoniae* tum *Seleuciam*, tum *Antiochiam* migrasse.

(30) Strabo l. c.

(31) Justin. l. c. L. XL. c. 2.

(32) Strabo l. c. *Alexandriam* a Josepho (*de bello Jud.* L. V.

Diu hanc celebritatem retinuit *Antiochia* ad ultima tempora usque imperii *Romanorum*, et saepius in annalibus Ecclesiae ejus nomen occurrit (33).

Haec fuit urbs, quae primum coetum *Christianorum* e *Gentilibus* collectum habuit, et ceteris ecclesiis deinde congregatis mater et exemplar, ut ita dicam, exstitit, quemadmodum coetus *Hierosolymitanus Judaeo-Christianis*. *Antiochiae* Christi disciplinae via aperta fuit, ut plerumque fiebat, per *Judaeos*, quorum proavi munificentiâ Seleuci alliciti in recens conditam civitatem se contulerant (34). Nonnulli ex *Hierosolymis*, propter violentiam *Judaeorum*, post mortem Stephani, ejecti *Christiani*, *Palaestinam* peragraverant, donec venirent in *Phoeniciam*, novae doctrinae sectatores conciliantes. Inde facilis trajectus in *Cyprum*, unde etiam *Antiochiam* venerunt, *Judaeisque* Christi doctrinam exposuerunt. Nonnulli eorum qui *Cyprii* et *Cyrenenses* genere essent, adeoque ad *Judaeos* pertinerent *Graece* loquentes seu *Hellenistas*, eo processerunt, ut Euangelium gentilibus exponerent (35).

Fe-

L. V. c. 42. p. 903) maximam urbem post *Romam* dici audimus, unde *Antiochiae* magnitudinem nobis informare possumus.

(33) Brevem historiam hujus urbis lege apud Prideaux l. c. T. I. p. 852—856.

(34) Jus civitatis iis concessum erat a rege *Syriae*. Vid. Joseph. *Antiqq*. L. XII. c. 3. p. 398 B. et *contra Apion*. L. II. p. 1063 C.

(35) *Actor*. XI, 19, 20. Haec commata, ut sunt in vulgatis Editt., legenti non adeo facile apparebit, quomodo ex iis hau-

ria-

Felici successu usi sunt et separatus mox conditur coetus, qui *Christianis* constaret e Gentilibus.

riamus quae scripsimus supra. Nostram interpretationem, quantum in nobis est, defendere jam debemus. Exstare oppositionem quandam inter c. 19 et 20 expressam per particulas μὲν et δὲ, nemo facile negabit. Opponuntur igitur inter se invicem *Ἰουδαίοι* et *Ἑλληνισταί*. Hoc vocabulo designari *Judaeos Graece loquentes*, scimus omnes (cf. Kuinoel ad *Act.* VI, 1) sed quisque facile tunc percipiet, Lucam idem c. 20 dicere, quod jam c. 19 dixerat: nam *Ἰουδαίοι* illi, qui in *Phoenicia*, *Cypro* et *Antiochiae* fuerunt, sunt *exteri Judaei*, *Ἑλληνισταί*. Aliam interpretationem excogitarunt hujus vocabuli, at vero nemo facile assensum dabit Drusio: „*forte gentes quae Christo nomen* „*dederant*, *intelligi*," putanti, aut Wolfii in *Curis* ad h. l. sententiae accedet, explicantis „*de iis*, *qui ortu gentiles sed* „*proselyti Judaeorum sunt circumcisi*." Vocem *Ἑλληνιστὰς* non aliam, quam dedimus, pati explicationem, constat, nec duo loca, quae Schleusnerus, qui ceterum nobiscum facit, in *voce Ἑλληνιστὴς* adducit, probandi vim habere putamus. Unde admodum nobis placet lectio *Ἕλληνας*, quam Griesbachius in textum recepit. Hanc lectionem tuentur celebres *Codices* A et D*, (C. hiat h. l.) versio antiqua *Syriaca*, nec non versiones *Arabb. Copt.* et *Aeth. vulgata* item et e *Codd. Italae*, *Cantab.* et *Laud.* exemplar, Euseb. Chrysost. in *Comm.* bis, Theophyl. et Oecum. in *Comment.* *Gentiles* scripsit etiam Cassiodorus. Facile concedimus, externam auctoritatem quamvis minime spernendam, etiam majorem esse posse, sed internum accedit bonitatis hujus lectionis indicium, quo moti minime dubitamus Grotium, Bengelium, Rosenmullerum, Heinrichsium, Kuinoelium sequi, *Ἕλληνας* h. l. scribi jubentes. Causa, unde orta vulgaris lectio, haec videtur, quod librariis nonnullis, qui in mente habebant, quae Lucas cap. X narraverat, insolentius putarent jam tunc temporis obscuros quosdam *Cyprios* et *Cyrenenses* ausos fuisse *gentilibus* annunciare Euangelium. Contrarium vero obtinuisse, cum totum hujus capitis XI argumentum et series docet, quod ipse sensit Witsius in *Meletem. Leyd.* p. 38 scribens, „*uti dit*, *Gentiles hic intelligi*, *res ipsa clamat*;" tum aperta oppositio, quam Lucas

C 4 de-

bus. Fama rei bene gestae *Hierosolymam* pervenit, cujus urbis Ecclesiae placuit quemdam a se dimittere, qui rem ipsam oculis suis conspiceret et inceptum opus conficeret. Huic muneri praefecerunt Barnabam, *Judaeum* quemdam *Cyprium*, qui brevi tempore eximie novae societati profuit (36). Videntur *Apostoli* prae ceteris eum misisse, quippe qui fuerit *Hellenista* adeoque aptior, ut cum gentibus ageret, quam *Judaei Palaestinenses*.

Numerum non adeo contemnendum Christo nomen dedisse, ex eo apparet, quod coetus *Antiochenus* nomine *Christianorum* salutabatur (37). Origine suâ hoc nomen per ludibrium iis inditum videtur a ceteris incolis gentilibus, fortasse a *Romanis*, nam *Latinam* linguam redolet haec vox (38). Cives *Antiocheni* proniores fuerunt in dicteria excogitanda. Siquidem pauci modo fuissent

designavit scribendo c. 19. *οἱ μὲν οὖν κ. τ. λ.* et c. 20. *Ἦσαν δέ τινες κ. τ. λ.* et quam non nisi contorto modo, aliter explicare possumus (cf. quae de hisce particulis scripsit Cl. v. Hengel in *Annot. in loca nonnulla N. T.* p. 121 et 124). Denique ex omni historia elucet, in coetu *Antiocheno* jam mature affuisse gentiles, quod mirum foret, nisi notasset Lucas. Et lubenter calculum adjicimus sententiae Erasmi ad h. l. notantis: „*videri poterat exemplum baptismatis* Cornelii *tantum animi addidisse Christianis, ut jam etiam Gentibus auderent praedicare* Christum." — Nobiscum facit etiam Gieseler l. supra cit. p. 310.

(36) *Actor.* XI, 22—24.

(37) *Ibid.* 26.

(38) Solent enim sectatores cujusdam hac terminatione designari e. g. *Pompejani*, *Caesariani* et sim.

sent Christi sectatores, aut in Synagogarum, uti *Hierosolymis*, obscuritate latuissent, non facile oculos incolarum gentilium in se convertissent (39). Ceterum hoc nomen *Christianorum*, primum in convitium datum, lapsu temporis nomen omnium Christi sectatorum factum est (40), cum apud *Judaeos* ad hunc usque diem infausto nomine *Nazarenorum* appellantur. Cum constat, floruisse coetum *Christianorum* e gentilibus in urbe *Antiochiâ* minime spernendum, antequam hujus Ecclesiae fata et indolem ulterius spectemus, operae pretium nobis visum est, paucis videre, quantos fructus hicce eventus rei Christianae attulerit.

§. 12. *De coetu Antiocheno, commodo religionis insigniter inservienti.*

Alexander *Macedo* cum *Asiam* ferro flammisque vastaret, ut novi regni fundamenta in ruderibus imperii *Persici* conderet, comparari potest cum gravissimâ procellâ, quae fulminum ictu sylvas incendit, agrosque undique ruinâ et pavore miscet; simul tamen sulcos arentes et sitientia arva miti gratâque pluviâ irrigat, ita ut campi mox novis herbis et floribus vestiantur. Ex-

(39) Instar omnium leg. Cl. v. d. Palm in *Serm. Sacro* qui exstat in It. eorum *decade* p. 202—205.

(40) De nomine *Christianorum* quae deinde commentati sint patres Ecclesiae, vid. apud Sulcerum in *Thes. Eccles.* voce χριστιανος T. II. p. 1543 sqq. Edit. 2. *Amstel.* 1728.

Expeditioni enim huicce attribuenda sunt *Graecorum* studia humanitatis, per magnam partem *Asiae* occidentalis dispersa. Hic illic conduntur civitates cultu moribusque *Graecis* celebres; uno vinculo disjectae partes *Graecorum* regnorum junguntur, et quod interna necessitudo humanitatis jam effecerat, externâ vi *Romanorum*, omnes uni imperio subjicientium, confirmatur. Inter *Graecas* has civitates *Antiochia* fuit. In eâ Christi disciplina fautores sibi acquirit; et laeto hoc eventu haec religio in scenam extensiorem pervenit, unde salutiferam suam vim et efficacitatem in omnes gentes, occidentales imprimis, exserere potuit. Nam, (hoc *primum* est, quod animadverti velimus) *Graeca* lingua et studia aptissimum fuerunt vehiculum, quo Christiana religio ad populos perduceretur. Sine his, ut nobis saltem apparet, nunquam haec religio talis facta fuisset, qualis ex mente divini auctoris esse debuit, religio scilicet omnium populorum, omnis aetatis. Non modo hic egimus de eo, quod per totum *Romanum* imperium *Graecâ* linguâ uterentur homines, sed imprimis hoc volumus, hanc linguam, quam *Graeci* excoluerant et insigniter locupletaverant, per indolem suam egregiam, securatae doctrinae expositioni inserviisse. Huc accedebant progressus *Graecorum* in studiis pulchri et veri, quales nulla gens unquam fecerat. Hisce studiis imbuti viri, divinam Jesu doctrinam ulterius expolire potuerunt, et omnino lingua, quâ Plato olim sublimes suas *ideas* exprimere conatus erat, dignissima fuit, quae Dei ef-

G

effata ad omnium notitiam perduceret. Actum fuisset de religione C h r i s t i germanâ, si linguâ qua tum utebantur *Hebraei*, ejus dogmata expressa fuissent. Barbara dictio fastidium creâsset delicatis auribus *Graecorum*, et stilus, intra poësin et prosam orationem fluctuans, nunquam ad illud *ἀκριβείας* fastigium se evehere potuisset, cui *Graecorum* dictio tam aptam se praestitit. Quid debeamus *Patribus*, qui dicuntur *Graecis*, vix dici potest, et quamvis dicendo mala minuere non velimus, quae ratio haec philosophica nimis arguta et subtilis in simplicem J e s u *Apostolorumque* disciplinam intulit, attamen conatus ipsorum indefessi multa excoluerunt, quae sordibus maculata aliàs latitâssent. Quid ingenium Orientale, et dictio ejus hyperbolica effecisset, satis docent monstrosa *Gnosticorum*, qui dicuntur, somnia. Quae cum ita sint, cuinam non magni momenti res videbitur, Christianam religionem firmam et stabilem invenisse sedem *Antiochiae*. Etenim haec urbs *Graecis* florebat studiis (41), civesque ejus jam novae doctrinae sectatores facti, sensum humanitatis, quo antea imbuti fuerant, jungere potuerunt cum institutione suâ religiosâ, eamque sic tradere aliis *Graecis*, morum ingeniique ratione secum junctis.

Deinde hoc observari subit, in urbe, qualem nobis fingere debemus *Antiochiam*, minime ob-

viam

(41) *Antiochiam* Cicero in *Orat.* pro A r c h i a c. 3. „*urbem*,“ vocat, „*eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis, affluentem*.“

viam fuisse arctam et superbam hanc opinionem, qua alios populos despicere solemus, nostraque modo bona et recta aestimare. Plane aliud quid apud incolas hujus urbis obtinuisse necesse fuit, quam apud gentem *Judaeorum*, vanâ superbiâ se supra omnes alios populos extollentem, quasi ipsi ex meliori luto essent formati. Ut solet in ejusmodi urbibus, ex variis colonis confluxerat incolarum frequentia. Omnes ejusdem juris fuerunt participes, et continuum commercium, quod cum aliis regionibus exercebant, augebat ingenium illud sociale apud cives *Antiochenos*, quo populi varii inter se necessitudine quâdam necti soleant. Ejusmodi sentiendi et agendi ratio prae ceteris favebat Christi religioni, cujus consilium non minus spectabat, quam hoc, ut intervalla removerentur, quae unum populum ab altero separent, omnesque unâ fide, uno vinculo fraterni amoris conjungerentur. *Antiochia* quotidie peregrinorum multitudine frequentabatur, qui in patriam reduces, novae doctrinae famam propagare potuerunt, et hoc modo insignem afferre utilitatem rei Christianae.

Etenim, hoc *tertio* loco notamus, haec civitas quod ad situm ejus attinet, egregie inserviebat commercio exercendo cum terris *Europaeis* et *Asiâ* occidentali. Ab unâ nimirum parte per mare *Mediterraneum* transitus in *Cyprum* insulam, *Asiam Minorem* et *Graeciam* ipsam patebat, vel etiam per terram versus septentrionem commodum iter fieri potuit. Ab alterâ vero parte *Syriâ*, multis civitatibus distincta, confinis erat *Mesopotamiae*

et *Armeniae*, et commercium exercebat cum hac parte *Asiae*, uni imperio subjectâ. Eventus autem rem, quam diximus, probavit, primisque Christianae religionis progressibus hae regiones illustres factae sunt, laetoque flore ibi coetus multi viguerunt. *Antiochena* ecclesia ergo tanquam mater horum omnium habenda est, neque causa exsistit, cur filiarum suarum ipsam puderet. Homines ex variis gentibus oriundi, qui mercandi gratiâ, aliamve ob causam, in hanc urbem venirent, nuncium novae disciplinae suas in patrias referre potuerunt; et ita adjumentorum vi et pondere efficiebatur, quod homines ipsi ne somnio quidem augurati fuissent. Sed sufficiat hoc monuisse, quod rei gravitas postulabat; quid enim gratius accidere possit, quam in historicâ disquisitione causarum et effectuum mirum contemplari nexum, et hoc modo historiae ipsi nomen et dignitatem vindicare, interpretis divinae Providentiae. Sed jam in viam redeamus, unde paulisper digressi sumus.

§. 13. *De nexu, quo Antiochenus coetus cum Hierosolymitano jungebatur.*

Prosperum rei successum *Palaestinensium Christianorum* oculos in se traxisse, supra jam vidimus. Exortum inde est, quod res ipsa ferebat, commercium quoddam inter *Hierosolymitanum* coetum et ecclesiam *Antiochenam*. Plures e *Palaestinâ* in recens conditum coetum se contulerunt, qui *prophetarum* nomine vocantur. Num vulgaris

ris hujus vocabuli significatio sit tenenda, an potius de doctoribus sit accipiendum, loco suo relictâ quaestione (42), hoc constat, fuisse viros prae ceteris apud *Hierosolymitanos* eminentes. Unde jure concludi licet, *Antiochenam* ecclesiam tanti a fratribus suis *Palaestinensibus* habitam fuisse, ut minime recusarent, itinera ad ipsos facere. Certo jam ab initio modus, quo illic gentiles in societatem Christi recipiebantur, non satis placuit *Judaeo-Christianis*, et mirum forte accidit, hos non statim negotia iis facessivisse: sed duas causas afferre possumus, quae impedivisse videntur, quominus *Judaeo-Christiani* fratribus suis *Antiochenis* lites nexerint.

Primam exhibet vexatio, quam regis Agrippae saevitia *Hierosolymitanis* excitavit (43). Quo discrimine suspensi et confusi, potius suae saluti consulere, quam alienis rebus se immiscere voluerunt. Nonne plures, imminente periculo territi, potuerunt refugium quaerere in novum coetum vicinum; quem suis altercationibus commovere, et imprudentis et ingrati animi indicium fuisset?

Alteram causam exhibere videtur fames et annonae penuria, quae imperium *Romanum* adeoque et *Palaestinam*, quarto Claudii regni anno, oppressit (44). Hac publicâ miseriâ factum est, ut

(42) *Actor.* XI, 27. De prophetis inter primos *Christianos* leg. *Excursus* III. Koppii in *Epist. ad Ephes.* p. 300 sqq. Edit. 3.

(43) De hac vexatione jam egimus supra Cap. I. §. 6. p. 27.

(44) *Actor.* XI, 28. Regnum Claudii saepius annonae penuriâ infestabatur, uti notavit Kuinoelius ad h. l. Dubitatum

ut coetus *Hierosolymitanus* imprimis vexaretur, in quo multos pauperes adfuisse constat. Idem igitur effecit haec calamitas, quod Agrippae vexatio; sed aliud quid etiam accessit, quod vinculum necessitudinis arctius necteret inter ambas ecclesias. Etenim *Antiocheni* misericordiâ moti, pecuniam contulerunt, qua *Hierosolymitanorum* paupertatem sublevarent. Stipem, cui quisque e coetu pro modulo suo aliquid adjecerat, collectam, per Barnabam et Paulum *Hierosolymam* miserunt (45). Hac ratione fraternae concordiae egregie consulebatur, qualiscunque tandem opinionum adesset diversitas. Neque *Palaestinensibus* tum certe in mentem venit, tranquillitatem movere eorum, quorum liberalitas tam generose fratrum calamitati subveniret (46). Sed fausto horum eventuum concursu lis quidem est procrastinata, non vero consopita.

Interdum coetus hicce *Antiochenus* in se continebat virum quemdam, cujus nomen immortale in-

tum est, quemnam annum hic Lucas respexerit. Basnage in *Annall.* p. 520. ad 2. Claudii annum (aerae nostrae 42) retulit. Sed potior nobis horum videtur sententia, qua ad annum 4 refertur. Legg. Wolfius in *Curis* ad h. l. cum Scaligero, Spanhemio et Usserio faciens, itemque Michaëlis in *notâ versioni suae German.* adjectâ ad c. 28. — Josephus *Antiqq.* L. XX. c. 2. p. 686. eadem de fame locutus est, quam narrat Helenam *Adiabenorum* reginam, commeatu adducto, sublevasse. Orosius *Histor.* L. VII. c. 6 hanc narrationem cum loco nostro ex *Actis* componit. Vid. L. Capelli *Historia Apostolica illustrata* p. 4b.

(45) *Actor.* XI, 29, 30.

(46) Cf. Planck l. c. P. II. p. 142—165.

inter *Apostolorum* chorum, jure primum meruit locum. Barnabae operâ ex *Ciliciae* latebris clariorem in lucem protractus, per integrum annum egregie profuit coetui, novosque ei adjunxit sectatores (47). Ingentis spiritûs vir, qui religionis Christianae nativae indoli et propagationi, plus boni contulit, quam omnes reliqui *Apostoli;* qui consilium Christi omni suo ambitu exsequebatur, per quem divina nostra religio talis facta est, qualis in mente coelestis auctoris aderat ejus imago. Paulum nos intelligere, vix opus est ut dicamus. Iis, quae de ingenio ejus deque modo, quo ad munus sibi impositum informatus fuerit, dicenda habemus, in Caput sequens rejectis, jam videamus primum ejus iter, quod unà cum Barnabâ, religionis propagandae causâ, suscepit, quodque primum fuit emolumentum, quod in rem *Christianam* ex coetu *Antiocheno* redundavit.

§. 14. *De itinere per Asiam minorem a Paulo et Barnaba suscepto.*

Paulus et Barnabas, quibus per partem viae sese adjunxerat Joannes Marcus quidam (48), e *Syriâ* in insulam *Cyprum* se contulerunt.

(47) *Actor.* XI, 25, 26.

(48) *Actor.* XIII, 5, 13. Quaenam fuerit causa, cur Marcus eos reliquerit, non dixit Lucas. Conjecturae Planckii, qui putat aegre eum tulisse, Paulum et Barnabam gentes etiam in societatem Christi recipere, vereor ut multi assentiantur. Vide eum l. c. p. 155 sq.

runt. Quâ peragratâ, *Pamphyliam* adierunt. Fausto successu rem suam egerunt in urbibus *Antiochiâ Pisidiae*, *Iconio*, *Lystris*, *Derbe* (49). Inde per eadem loca reditum fecerunt, et *Attaliâ Pamphyliae* urbe (50) *Antiochiam Syriae* per mare redierunt. Praeter laetum eventum, quo hoc iter utebatur, hoc nomine imprimis memorabile dicendum est, quod primum fuit, propagandae

(49) Vix fieri potest, ut has urbes singulas suae provinciae assignemus, cum ab antiquis nunc huic nunc illi attribuantur. Regiones enim, quae vocantur *Pisidia*, *Isauria*, *Lycaonia* et *Galatia* non certis finibus disterminabantur, sed vario tempore varie dividi solebant. *Antiochia* nimirum τῆς Πισιδίας a Luca *Actor.* XIII, 14 dicta, ut distingueretur ab *Antiochia Syriae* metropoli, in confiniis hujus provinciae sita erat et a Strabone accuratius dicta ἡ πρὸς Πισιδίᾳ, inter *Phrygiae* urbes numeratur Lib. XII. c. 8. p. 72. *Iconium Lycaoniae* assignatur a Strabone l. c. c. 6. p. 58 et a Stephano *de urbib.* in *voce*; a Xenophonte *Anab.* L. I. c. 2. §. 19 *Phrygiae*; ab Ammiano Marc. L. XIV. c. 2 *Pisidiae*. *Derbe*, quae cum *Lystris* a Luca *Act.* XIV, 6 urbes dicuntur *Lycaonicae* a Strabone l. c. p. 59 et a Stephano *de urbib.* in *voce* Δέρβη, *Isauriae* dantur. Diversitas haecce ex eo videtur explicanda, quod provinciae supra memoratae unum idemque regnum constituentes, ab Augusto Amyntae cuidam datae fuerint, et post mortem regis cum in provinciae formam redigebantur, *Galatia* et *Lycaonia* uni Propraetori mandatae sint, unde finium constitutio difficilior facta est. Vid. Dio Cassius L. LIII. c. 26. Fusius peculiari consilio hac de re egit Mynster in *Introd. in Epist. ad Gal.* p. 51 sqq. quae exstat in ipsius *Kleine Theol. Schriften*, *Hafniae* 1825.

(50) Haec urbs nomen habet ab Attalo II. Philadelpho rege *Pergameno*. Vid. Strabo l. c. L. XIV. c. 4. p. 218 et L. XIII. c. 4. p. 149. A Stephano in *voce*, *Lyciae* adjudicatur. Legendum enim ibi Λυκίας, non vero Αὐλίας, quam lectionem exhibet Editio a Thoma de Pinedo et Jac. Gronovio curata *Amstel.* 1725.

dae religionis causâ susceptum. Imprimis multum boni contulit *Ethnico-Christianis*, quorum numerus novorum discipulorum turbâ augebatur. *Judaeos* quidem P a u l u s ejusque comes primos adierunt, ut ipsis doctrinam C h r i s t i annunciarent. Sic fecerunt *Salamine*, *Antiochiae* et *Iconii* (51), ubi *Judaei* Synagogas habebant. Agendi rationem imprimis declarat narratio eorum, quae *Antiochiae* locum obtinuerunt. Coram *Judaeis* et Proselytis (52) in Synagogâ die Sabbathi congregatis, gravis oratio a P a u l o habita fuit, qua privilegia gentis *Judaicae* quidem proponuntur, sed primo loco hoc ponitur, Messiam iis datum esse J e s u m, quem *Hierosolymitani* rejecerant et morti tradiderant: per quem quisque ei fidem habens veniam peccatorum acquirere posset, quam legis Mosaicae observatio nemini dare valeret. Gravis additur comminatio, ne rejiciendâ salute, quae iis jam offerebatur, summam calamitatem in se contraherent (53). Hic sermo successu nullo modo caruit apud auditores. Sequenti vero vice, magna turba gentilium audiendi cupidorum in Synagogam se contulerat. Qua autem re invidiâ accensi *Judaei* et graviter ferentes, benigne hos a P a u l o accipi, dictis ejus se opposuerunt et conviciis et calumniis eum insectati sunt. Tum solemni modo duros et pertinaces hos homines sorti suae [illegible] re-[illegible]

(51) *Actor.* XIII, 5, 14. XIV, 1.

(52) *Proselyti portae*, qui dicuntur; hi enim intelliguntur per τοὺς φοβουμένους τὸν θεὸν *Actor.* XIII, 16. coll. 43 ubi σεβόμενοι προσήλυτοι dicuntur. Vidd. *Interpp.* ad hh. ll.

(53) *Actor.* XIII, 16—41.

reliquit; iisque desertis ad *Gentiles* se contulit, ipsisque laetum nuntium praedicavit (54). Hoc modo clarissime ostendit, quamvis etiam deinde primum cum *Judaeis* ageret, gentes reliquas minime exclusas esse a bonis, quae Christus hominibus concedere vellet. Jure meritoque igitur *Antiochiam Syriae* reduces, laeti ob rem bene gestam, ecclesiae dicere potuerunt „ Deum etiam gentilibus praebuisse opportunitatem, qua ad „ salutem veri nominis pervenirent (55)." Haecce peragratio imprimis augebat florem *Christianorum* e. *Gentilibus*: nam *Judaei*, quos proxime Christi doctrina spectabat, infensissimos adversarios se ostenderant, et hoc modo quoque odium recens conversorum in se contraxerant. In hisce regionibus, quas Paulus et Barnabas visitaverant, coetus bene compositi se constituerunt, presbyteris suis ad exemplar ecclesiae *Antiochenae*, instructi (56). Et quemadmodum minores coetus *Palaestinenses Hierosolymam* matris instar venerabantur, sic jam ecclesiae hae *Pamphylicae*, *Lycaonicae* et *Pisidicae Antiochenum* coetum, filiarum instar, colebant. Quisque nobis dabit, non adeo magnifice de coetibus hisce recens conditis esse statuendum. *Christiani* illi certe a fratribus suis *Judaicis*, majore scientiâ in rebus sacris praeditis, varias opiniones haurire potuere, quae cum germanâ Christi doctrinâ non

(54) *Actor.* XIII, 43 sqq.
(55) *Actor.* XIV, 27.
(56) *Actor.* XIV, 23.

non satis bene convenirent; sed ipsâ controversiâ, quae mox erupit, cautum est, ut identidem major separatio oriretur, et eâdem illâ re, quâ *Judaïsmi* studium clariore in luce positum fuit, et diligentes acquisivit fautores, purior et religioni magis conveniens cogitandi ratio apud *Ethnico-Christianos* novas accepit vires.

§. 15. *De primâ controversiâ inter Judaeo-Christianos et Ethnico-Christianos, ejusque caussis.*

Pauci illi gentiles, qui primo tempore Christi doctrinam amplexi sunt, videntur *Judaicis* fratribus se accommodâsse, nec materiem praebuisse offensionis iis, qui religionis avitae admodum studiosi fuerunt. Res tamen aliam induit faciem, cum tam bono successu Paulus et Barnabas etiam inter Gentes religionem propagaverant. Famâ hujus eventûs *Hierosolymam* perlatâ, animus nonnullorum, qui *Pharisaicae* sectae antea fuerunt fautores, dein vero ad Christi partes se contulerant, inconsiderato ardore pro institutis Mosaicis incendebatur (57). *Antiochiam*, ubi propu-

(57) *Act.* XV, 1. Illos autem κατελθόντες ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας fuisse *Pharisaicae* sectae fautores, ipse innuit Lucas l. c. 5. et rei ipsius natura confirmat. De Pharisaeorum sectâ vidd. quos excitat Borger *Interpr. Epist. ad Gal.* p. 102. N. 1. quibus addi possunt Serrarius et Drusius in *Syntagm. trihaer.* p. 25—85 et 257—277. Clericus *Hist. Eccl.* p. 5—12. Prideaux l. c. T. II. p. 485 sqq. Neander l. c. P. I. p. 53 sq.

pugnacula *Ethnico-Christianorum* reperiebantur, nonnulli horum se contulerunt, ibique docuerunt, nisi circumciderentur ex instituto Mosaico, *Christianae* nullo modo salutis, eos participes fieri posse (58). Fuerunt ejusmodi homines, quales jam vidimus antea se opposuisse Petro, cum Cornellum in societatem Christianorum receperat (59). Certissime *Apostoli* tantum fervorem inconsideratum non probâssent, sed simul hi viri, *Hierosolymitanae* Ecclesiae patroni, nunquam defensores se constituissent jurium *Antiocheni* coetûs, nisi ab aliis, Paulo imprimis, meliora edocti fuissent.

Fervidis illis Mosaicae legis patronis contigit, ut *Antiochenam* ecclesiam turbâ et tumultu miscerent. Recens factis *Christianis* scrupulus injiciebatur; et forte voti compotes facti fuissent *Hierosolymitani*, nisi fortiter iis obstitissent Paulus et Barnabas, qui causam Gentium in se susceperunt, et partes contrarias tuiti sunt (60). Non ta-

(58) *Act.* l. c. Pro lectione recepta ἐὰν μὴ ..... Μωσέως legitur in *Cod. Cantabr.* ἐὰν μὴ περιτμηθῆτε καὶ τῷ ἔθει Μωσέως περιπατῆτε, quod exstat etiam in Constitt. Apostt. L. VI. c. 12. p. 341. *Edit.* Cotelerii: sed merito rejicitur tanquam interpretamentum. Cf. Buddei *Ecclesia Apostolica* p. 198 sq. qui docte egit de hocce conventu *Hierosolymitano*, ubi haec controversia est dirempta.

(59) Supra §. 10. Causam hujus controversiae seriori aevo Epiphanius *Haeres.* XXVIII. No. 2. et Philastrius *de Haer.* c. 8. ad Cerinthum retulere, sed inanissimum hocce commentum satis refellit Basnage l. c. p. 599 sq.

(60) *Actor.* l. c. 2. Vox στάσις, si quidem de controversiâ et dissidio accipiatur, uti omnino occurrit *Actor.* XXIII. 7. op-

tamen, ex omnium animis dubia expellere potuerunt; plures videntur, imprimis e *Judaeis*, qui partem *Antiocheni* coetûs efficiebant, nimis aures praebuisse advenis, gravesque facti esse sociis suis aliter sentientibus. Convenerunt igitur litigantium partes, ut causa deferreretur ad *Apostolos* et coetum *Hierosolymitanum*, qui de eâ sententiam dicerent. Cujus consilii non immerito quis, Paulum auctorem esse, suspicaretur (6). Magni enim momenti eis esse debuit, ut solemni modo agendi sua ratio, quam secutus fuerat, a summâ auctoritate, quam omnes suspiciebant, sanciretur. Ipse igitur cum Barnabâ aliisque nonnullis *Hierosolymam* missus est, ut hujus Ecclesiae tribunal de causâ, circa quam litigabatur, inquireret. Dum iter faciunt legati per *Phoeniciam* et *Samariam*, et coetibus ibi congregatis felicem successum, quo inter Gentes usi fuerant, narrant, horum coetuum socii laetitiâ summâ affecti sunt. (62). Unde apparet, *Hierosolymitanam* ecclesiam imprimis fuisse, quae patronos hos legis Mosaicae suppeditaret; nec mirum: nam in hac urbe *Pharisaei* summâ gaudebant auctoritate, et ardor ille, quo paterna instituta defendebantur, imprimis extollebatur.

Ni-

optime jungi potest cum seqq. τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ, quod negavit Grotius ad h. l.

(61) Cf. Planck l. c. P. II. p. 160. Contrariae opinionis fuit auctor additamenti, quod exhibet *Codex Cantabr.* quod lege apud Griesbachium No. 7.

(62) *Actor.* l. c. 3.

Nihil aliud exspectari potuit, quam ut tandem belli semina, opportunitate datâ, in flammas erumperent. Studium illud, quo gens *Judaica* ferebatur ad Mosis instituta vindicanda, auctum *Pharisaeorum* conaminibus, Christi disciplina non statim evellere potuit ex animis. Cumque in coetu *Hierosolymitano Apostoli* ipsi avitam religionem intactam reliquissent, neque a cultu publico se abstinerent, tanto insolentius multis videri debuit, aliis in regionibus in societatem Christi recipi gentiles, qui nunquam antea proselytorum nomine gavisi fuerant. Piaculum id habebatur et sacrilegium in Mosaicas leges latum. Neque deerant certe *Judaizantibus* argumenta speciosa, quibus rem suam tueri possent. Aderant veterum oracula, gloriam *Judaicae* gentis futuram, quippe quae Gentibus ceteris leges daret, canentia; aderat fides firmissima, Mosaicam oeconomiam nunquam absolvendam esse, sed in perpetuum duraturam (63). Accessit exemplum Jesu Christi sacra populi observantis, cui calculum adjecerant *Apostoli* ipsi. Minoris pretii quidem nobis haec argumenta videntur, sed non sic erat apud homines, privilegiis suae nationis gloriantes et ejusmodi opinionibus a teneris imbutos. Itaque sapientia et prudentia *Apostolorum* magnopere sunt laudandae, qui perversis hisce opinionibus tantâ auctoritate propositis, obviam ire non recusarunt, sed decre-

(63) Hujusmodi opinionum conspectum dedimus supra §. 8.

creto sub jure *Ethnico-Christianorum* egregie vindicarunt.

§. 16. *De Conventu Hierosolymitano deque modo, quo ibi res tractata est.*

Conventus ille *Hierosolymitanus* (64), (sic enim potius vocamus quam concilium, ne quis putet nos in eâ versari sententiâ, hunc conventum fuisse, qualis seriori tempore nomine *Concilii* seu *Synodi* appellabatur) (65); dignissimus est, cui paulo diutius immoremur. Videamus primum quomodo causa, in controversiam ducta, ibi tractata sit; deinde quamnam sententiam *Apostoli* ceterique tulerint *Christiani*.

Modus, quo legati *Antiocheni* recipiebantur, aliquid boni jam augurabatur. Honorifice enim *Apo-*

(64) Locum obtinuit A. C. 50. Chronologicas rationes vide apud Basnagium *Annall.* p. 601 sq. Cff. Witsius *Melet. Leyd.* p. 59 sq. et Planck l. c. p. 265 in nota.

(65) *Concilium* veri nominis non fuisse, docuit Moshemius *Opusc. zur Kirch. Geschich.* T. I. p. 176 sqq. Cui summo viro nondum assensum dare possumus affirmanti rem in conventu non fuisse diremtam per suffragiorum numerum, sed *Apostolos* hic solos judices sedisse. Prima vestigia concilii, ubi variorum coetuum legati convenirent, et de rebus suis decernerent, reperiuntur intra Annum 160 et 170. Vid. Gieseler *Kircheng.* T. I. p. 143. n. c. Non adeo magni momenti foret, si quis *Concilii* vocabulo et hic uti vellet, nisi serior aetas nimis crebro sibi arrogâsset jus imitandi effati, *ἔδοξε τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν*. Ceterum merito judicat Schröckh. l. c. T. II. p. 117, agendi rationem hujus conventus exemplar esse potuisse, quod omnes deinde *Christiani* imitarentur.

Apostoli Paulum et Barnabam tractabant, et auditis, quae hi jam inter Gentes effecerant, dextris junctis, in fraternam communionem admiserunt (66). Nihilominus, cum in unum convenerant *Apostoli* Petrus, Jacobus et Joannes (67), (alia enim nomina antiqua monumenta hac occasione diserte non memorant), cum *Presbyteris* aliisque e coetu hujus urbis, re propositâ, magna controversia orta est. *Pharisaei* isti, qui Christi nomen confessi fuerant, quos Paulus merito ψευδαδέλφους (68) nuncupat, omnem movere lapidem, ut observatio legum Mosaicarum imponeretur omnibus. Contradicere alii, *Antiochenorum* causam defendentes. Tandem surge-

(66) *Actor.* l. c. 4. *Galat.* II, 1—10. In hisce locis eandem historiam narrari, admodum est probabile, et plerisque sic visum est interpretibus. Vidd. Witsius l. c. p. 57, Buddaeus l. c. p. 206, Koppe et Borger ad *Gal.* II, 1. Ex mentione *δεκατεσσάρων ἐτῶν* nolimus argumentari, difficultate hujus computationis absterriti, qua factum, ut varias inierint rationes viri docti, unam alteram destruentes. Vid. Borger in *Proll.* p. 36 n. 2. Legatos *Antiochenos* comiter fuisse acceptos *Hierosolymis*, innuit usus verbi ἀποδέχεσθαι quod Lucas scripsit l. c. Cff. loca in ejus *Euang.* VIII, 40. et *Actor.* XVIII, 27.

(67) *Gal.* II, 9. Joannem adfuisse, quod cum multis aliis statuit Baronius in *Annall. ad ann. Chr.* 51. *No.* 9, sine causâ admodum dubium videtur Basnagio l. c. p. 600. Pseudo-Clemens in *Constitt. Apostt.* L. VI. c. 12. p. 341. omnes duodecim Apostolos adfuisse narrat, misere oblitus Jacobum Zebedaidem jam mortuum fuisse.

(68) *Gal.* II, 4. ψευδαδέλφους παρεισάκτους vocat Paulus, id est, tales, qui clam in coetum irrepserunt, a quo sunt reverâ alieni. Cf. Borger ad h. l.

gere **Petrus** et moderatam proponere sententiam. „ Se jam diu ante," sic sermonem habuit „ a **Deo** „ fuisse electum, qui Euangelium gentibus etiam „ annunciaret. Fausto successu se usum fuisse. „ **Deum** animorum omnium perscrutatorem, pro„ bâsse illud, concedendo Gentilibus aeque ac „ ceteris e Judaeis, miraculosa dona Spiritus San„ cti, neque ullum admisisse discrimen, fide „ **Christo** habitâ a labe scelerum et errorum ani„ mos purgante. Cavendum iis esse, ne vellent „ **Christi** discipulis imponere jugum gravissi„ mum, cui ferendo et proavi *Judaeorum* et ipsi „ illi omnes vix pares essent. Fidem vero so„ lam **Christo** habitam, non autem rituum onus „ et observationem, omnibus aeque salutis pan„ dere viam (69)." Tunc, cum hunc virum pietate gravem et meritis audiverant dicentem, ut poeta ait,

.... *Si-*

(69) *Actor.* XV, 7—11. Instituti nostri ratio non fert, ut hujus *Petrinae* orationis interpretationem exhibeamus. Argumentum autem, quantum speramus, obliquâ oratione satis clare dedimus. Haec tamen ὡς ἐν παρόδῳ notare liceat. **Petrus** hic **Cornelii** historiam narrâsse videtur, quippe quae firmissimum argumentum exhiberet, quo refutarentur adversarii. Et eodem modo ratiocinium struxit, quo usus est *Actor.* XI, 17. Quod ad verba attinet, τί πειράζετε τὸν θεὸν vs. 10. memorare liceat conjecturam multis nominibus se commendantem cl. **Palmii** ad h. l. *Judaeo-Christianos* asseruisse, si quidem Gentiles non circumcidendi essent, tum patefactionem coelestem exspectandam fuisse. Denique κἀκεῖνοι in fine vs. 11. minime ad πατέρες vs. 10. referri debet, uti strenue defendit **Buddeus** l. c. p. 225 sq. sed ad *Ethnico-Christianos*, de quibus totâ oratione agitur. cf. **Kuinoei** ad v. 11.

I

. . . . *Silent, et arrectis auribus adstant,*
Ille regit dictis animos et pectora mulcet.

Hoc silentio Paulus et Barnabas usi sunt, ut enarrarent mira facta felicemque successum, quae inter Gentiles ad Christi partes traductos obtinuerunt. Hisce auditis, jamjam animi in favorem novorum fratrum flectebantur. Tandem verba facit Jacobus, qui magnâ auctoritate in Ecclesiâ *Hierosolymitanâ* pollebat, et cujus sententia adeo magni habebatur ponderis. „ Petri „ dicta " ait „ confirmari effatis veterum pro- „ phetarum "; cujus rei exemplum mox citat ex Amosi vaticiniis (70). Quae cum ita essent, „ se hujus esse opinionis, non amplius negotia „ esse facessenda (71) Gentilibus, qui ad veri „ Dei Christique cultum se contulerant: sed „ per Epistolas iis esse praecipiendum, ut absti- „ neant a victimis quae idolis oblatae essent, a „ scortatione, ab animalibus suffocatis et a sangui- „ ne. Ejusmodi quid observandum esse *Ethnico-* „ *Christianis*, ne reverentiae, qua Mosaica lex a „ *Judaeis* colitur, nimium detrahatur (72). "

Haec-

(70) *Amos* IX, 11, 12. memoriter ex versione *Alexandrinâ* citavit Jacobus. Eum autem *Graece* locutum fuisse multo magis nobis probabile videtur, quam sententia Bengelii in *Gnom.* ad vs. 17, Michaëlis et Boltenii ad h. l. qua statuitur Jacobum *Aramaïce* verba fecisse.

(71) Notetur usus verbi παρενοχλεῖν vs. 19 ἅπαξ λεγόμενον in N. T. quo significatur *molestias facio*, *turbo alicujus quietem*, ita ut animi exacerbentur. Cf. Schleusner in Lex. ad h. voc.

(72) In vs. 21 verba satis plana sunt, sed nexus cum praecedd. non adeo facile perspicitur. Qui interpretationes varias co-

Haecce **Jacobi** sententia omnibus placet, et suffragiis ceterorum probata, in decreti formam redigitur. Litteris comprehensum ad coetum *Antiochenum* mittitur, postquam hujus urbis legatis **Judas** et **Silas** additi fuerant. Epistola haecce ad *Christianos* e gentibus etiam, qui coetus *Syriacos* et *Cilicios* efficiebant, data fuit (73). Jam nobis videndum, quid coetus *Hierosolymitanus* ab illis postulaverit in Epistolâ suâ.

§. 17. *De Decreto Apostolorum in conventu Hierosolymitano sancito.*

Jubentur autem *Ethnico-Christiani* (74), se abstinere ab εἰδωλοθύτων, id est ab omni cibo, qui quodam nexu, cum victimâ Diis oblatâ, junctus fuisset (75). Hisce carnibus, sive in epulis sacrifi-

cognoscere cupit, adeat **Kuinoellum**; nos hic secuti sumus interpretationem Cl. **Palmii** in *notâ* ad h. l. simplicitate unicuique se commendantem.

(73) *Actor.* XV, 22—29. Cf. **Buddeus** l. c. p. 249 sqq.

(74) Hos *omnes* respici, non vero *solos Proselytos*, clare docuit contra **Bensonum**, qui contrarium statuisse videtur dogmaticis rationibus inductus, C. L. **Nitsch** *de sensu decreti Apostolici Act.* XV, 29. in *Commentatt. Theologg. editt. a* **Veithusen, Kuinoel** et **Ruperti**, Vol. VI. p. 390—401, 404—408.

(75) Εἰδωλόθυτα a **Jacobo** vs. 20. dicuntur ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, *inquinamenta idolorum*, id est pollutio per carnes victimarum effecta; vox ἀλίσγημα et verbum ἀλισγεῖν sunt verba Alexandrina pro *Graecis* vulgaribus μολύνειν, μιαίνειν. Vid. *Dan.* I, 8. *Malach.* I, 7, 12. (respondet Hebr. גאל) *Sirach.* XL, 29. Cff. **Spencerus** *de Legg. Hebr.* L. II. p. 436 sqq. **Buddeus** l. c. p. 269 sqq.

ficio cuidam annexis proponerentur convivis, sive in macello venderentur, se inquinari putabant *Judaei*. Ne igitur offensioni essent *Ethnico-Christiani* fratribus suis *Judaeis*, caute iis vitanda fuerunt, quae cum Idololatria necessitudine quadam jungi videbantur. Eadem ratio est alius praecepti, quo usus *τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος* (76) iis interdicitur. Scilicet debebant se abstinere ab animalibus suffocatis, quia in ipsis sanguis adhuc residere posset, et in universum ab omni carne, quae e sanguine parabatur, a cujus usu abhorrebant *Judaei*, non minus quam a carnibus victimalibus, quae falsis numinibus oblatae essent. Hisce additur mandatum, ut scortationem (77) fu-

(76) Hoc praeceptum *Judaeis* datum fuit ex lege Mosaica. Vid. Michaëlis, *Mosaisch Regt*, T. IV. p. 227 sqq. τοῦ πνικτοῦ omittitur a nonnullis, quos vide apud Griesbachium ad vs. 20; sed minus recte hos agere, demonstravit Kuinoelius ad h. l. Τοῦ πνικτοῦ usus apud *Judaeos* concedebatur advenis apud hos commorantibus *Deuter.* XIV, 21; hinc *Judaei* proselytos non circumcisos אוֹכֵל נְבֵילוֹת (*morticinia comedentem*) convitiabantur. Αἵματος abstinentia jure inculcata fuit *Judaeis*, quia usus ejus varius in ritibus gentilium. *Patres* nonnulli de homicidio intellexerunt, quorum loca excitata reperiuntur apud Spencerum l. c. p. 441. Sanguinis et suffocati usum *Ethnico-Christianis* interdictum fuisse ut aliquid daretur imbecellitati Judaizantium, bene judicat L. Capellus l. c. p. 14. quamvis ceterorum praeceptorum in decreto Apostolico causam minus probabiliter inde deducit, ut obviam iretur *Nicolaitarum* jam ortis erroribus. Cf. Nitsch l. c. p. 402 sq.

(77) Πορνείαν alii aliter interpretati sunt. Sed nulla exstat causa, cur a vulgari hujus vocis notione discedamus. Contra Michaëlem, qui hanc vocem in *notis German.* ad h. l. de *carne venali in macello* explicat, disputat Nitsch l. c. p. 410 —

fugiant. Nemini mirum accidet, hoc praeceptum hic exstare junctum cum aliis, quae idololatriae evitationem inculcabant, qui reputet, quam arcta necessitudo intercederet apud Gentes inter cultum falsorum Deorum et fornicationem. Quo factum est, ut hoc vitium minus inhonestum videretur, imo quodammodo sanctam indueret imaginem (78).

Haec injunguntur *Ethnico-Christianis:* sed quonam consilio? Responsio in promtu est, ne offensionis materiem praeberent *Judaeo-Christianis* (79). Et sane facile haec mandata observari po-

410—414, merito dicens, hanc vocis πορνεία notionem ex usu loquendi N. T. et *Alex. Interpretum* minime probari posse. Alias interpretandi rationes enumeravit Kuinoelius, quem vide ad h. l. *Cf.* etiam Speneerus l. c. p. 438 sq.

(78) Impudicitiam magnas vires ex Deorum cultu accipere, inter omnes constat, et tempore *Apostolorum* hoc vitium imprimis regnabat; neque primos *Christianos* ab eo immunes fuisse, clare docent repetita praecepta contra morum impuritatem, quae suppeditant *Epistolae Paulinae.* Quam noxiae fuerint antiquae religiones bonis moribus, saepius *Patres* Ecclesiae in scriptis suis docuerunt. Hujus argumenti ambitum exposuit Doct. H. J. Spyker, (amicus conjunctissimus), in Dissertat. suâ *de Institutt. Divinn.* Lactantii p. 53—56. Si quis exempla legere cupit ex scriptoribus antiquis, adeat R. v. Ommeren, in libro Horatius *als Mensch en Burger beschouwd*, p. 49 et 50.

(79) Hoc nobis simplicissimum videtur, quod tanquam consilium hujus decreti exhibeatur. Multum hac de re scripto mandatum est a viris doctis. Nostra sententia placuit etiam Buddeo l. c. p. 266 sqq. nec multum differt Nitschii sententia, *hoc decreto conjunctionem et concordiam inter utramque partem Christianorum afferre voluisse Apostolos.* vide eum l. c. p. 401 sqq. Speneerus vero p. 449—467. magnâ doctrinae co-

potuerunt, et per se utilitatem quandam habebat eorum observatio, qua cautum est, ne sordes Idololatriae puriori disciplinae se admiscerent. Talia sunt, quae ex legibus Mosaicis (80) requirebantur a *Proselytis portae*, uti dicebantur, quibus observanda dabantur septem illa praecepta *Noachidarum* (מצוות בני־נח), quorum vestigia in hocce Decreto Apostolico insunt (81). Ergo hinc efficimus, *Apostolos* aliosque, qui in conventu aderant, voluisse, ut *Christiani* e Gentibus eodem numero haberentur, ac *Proselyti portae* apud *Judaeos* (82).

Sed

pià demonstrare conetur „*Apostolos decreto suo efficere voluisse, ut causae, comites et signa Idololatriae a Christianis evitarentur*". Huic opinioni calculum adjecit S. Deylingius *Observv. Sacr.* P. II. observ. 39. p. 364. Neque putamus hanc sententiam adeo esse improbabilem, neque contradicendum ei esse, si modo hoc teneatur, consilium hocce omnino spectari, sed non primo loco. Hac ratione decretum illud ab utilitate commendandum est. Cff. tamen Basnage in *Annall.* p. 612, qui ipse sententiam proposuit, explicationi a Nitschio datae similem, et celeb. Clerisse, *Gedenkw.* etc. p. 385 sqq.

(80) Vid. *Levitic.* XVII, 10, 11, 13. ubi tam *Israëlitis*, quam peregrino apud hos commoranti, usus τοῦ αἵματος καὶ τοῦ πνικτοῦ interdicitur.

(81) Praecepta illa septem lege apud Spencerum, p. 442. quorum primum, quartum et sextum cum Decreto Apostolico convenire, negari nequit.

(82) Vestigia praeceptorum *Noachidarum* in Decreto Apostolico viderunt plures jam viri docti, et ex hisce repetendum censent, uti W. Schickerdus, H. Hammondus et P. Jurieu; quorum scripta citata lege apud Buddeum, p. 257 sq. Contra hos acerrime disputavit Spencerus l. c. p. 442 sq. Negari nequit hos viros nimium subinde in decreto quaesivisse; ne-

Sed summi est momenti hic observare, quam egregie res definita sit in favorem *Ethnico-Christianorum*. Causa horum *Christianorum*, qui rigidiori observantiae Mosaicae institutionis favebant, rejecta est ac publicâ auctoritate reprobata. *Apostoli* mitioris sententiae se patronos stiterunt, sed ita, ut rem, quod ad *Judaeo-Christianos* attineret, intactam reliquerint (83). Multum jam fuit, et indoli verae religionis quam maxime consentaneum, quod observationem legis Mosaicae supervacaneam pronunciaverint *Ethnico-Christianis*. Non prudenter egissent, si quidem ipsis *Judaeis*, qui Christo fidem dederant, ritus suos avitos auferre conati fuissent. Quantum malum excitassent, si hoc pronuntiassent coram coetu, cujus socii etiam seriori tempore tanquam ζηλωταὶ τοῦ νό-

neque tamen oppositiones Spenceri aliorumque apud nos hanc vim habuerunt, ut dubitemus assensum dare Cl. Gieseler dicenti in *Archiv.* l. c. *Apostolos* statuendo suo decreto, praecepta haecce *Proselytis portae* data ob oculos habuisse. Antiquos Ecclesiae doctores tale quid etiam in mente habuisse, docet locus Tertulliani in *Monogam.* c. 5. et Pseudo-Clem. *Constits. Apost.* L. VI. c. 12. p. 342. quae loca descripsit Gieseler, *Kirchengesch.* T. I. p. 75. nota *b.* Ceterum optandum fuisset, ut semper hac in causâ disputandâ, temporum rationem habuissent scriptores „ *neque*," ut ait Nitsch, p. 417 et sq. „ *decretum hoc Apostolorum tot disputationibus du-* „ *bitationibusque materiem praebuisset, si institutio Apostolo-* „ *rum moralis magis ex usu istius aetatis et eorum, quibus* „ *ea proxime destinata erat, aestimata esset, quam ex usu* „ *omnium hominum ac temporum communi, cujus illi in singu-* „ *lis admonitionibus rationem habere nec poterant nec debe-* „ *bant.*"

(83) Cf. Planck l. c. p. 167 sqq.

νόμον celebrabantur (84). Neque putamus huic rei ipsorum *Apostolorum* favisse opinionem, qui, cum ipsi Judaei essent, observationem oeconomiae pristinae certo non parvi habuerunt. Tanto magis itaque ipsorum laudanda ingenii lumina, quae non siverunt, ut austerum et *Pharisaicum* studium circa pretium institutorum Mosaicorum, prae mitiore sententiâ praevaleret; sed solemni suo decreto effecerunt, ut Christiana disciplina, ab omni molestiâ liberata, sectatores posset nanciaci inter omnes gentes, fidei et amoris vinculo junctas, non externâ formâ *Judaicorum* rituum.

Ejusmodi opinio, qua observatio rituum Mosaicorum tantum obstringere *Judaeos* habebatur, etiam invaluerat apud nonnullos *Judaeos* hujus temporis, neque omnes assensum dederant fanatico studio, quo *Pharisaei* suos ritus omnibus omnino imponere vellent. Hujus rei exemplum nobis exhibet Josephus, enarrans historiam rei, quae circa idem tempus, quo conventus *Apostolorum Hierosolymis* habitus fuit, locum obtinuit. Scilicet Izates Regulus quidam *Adiabenae*, antequam patri successerat, amicitiam contraxerat cum mercatore quodam *Judaeo* Anania, qui in gynaecaeum introductus, nonnullas mulieres ad religionem Mosaicam perduxit, Mox ipsum Izatem commovit ut aures sibi praeberet. Hic regnum adeptus, cum mater ejus Helena etiam *Judaicam* religionem am-

(84) *Actor.* XXI, 20. verba haecce fratrum *Hierosolymitanorum* egregie depingunt sentiendi rationem *Judaeo-Christianorum*, et simul docent, decreto Apostolico in coetu *Hierosolymitano* nihil mutatum esse.

amplexa fuerat, professus est novam doctrinam, et jam in eo fuit ut ritum circumcisionis subiret, cum mater ipsius et Ananias hoc ei dissuaderent. *Judaeus* ille minime hoc ritu ei opus esse affirmat; optime Deum verum coli ab eo posse, quamvis externum hoc signum omitteretur. Minime itaque se odio sui populi exponere debere, palam profitendo *Judaeum* se esse factum. Moderato huic consilio Izatea obtemperat. Sed paulo post legisperitus quidam *Galilaeensis*, Eleazar nomine, supervenit. Regem Mosaicos libros legentem reperiens, „Nescis" inquit „o Rex, „quantâ injuriâ leges, et per leges Deum afficias! Non enim oportet tantum eas cognoscere, sed prius facere, quae jubeant. Quamdiu „circumcisionem negligas? Si quidem ignoras, hoc jubere leges, perlege ipsas, et videbis non posse omitti sine impietate." Haec ille: et rex statim eo perductus est ut circumcisioni se subjiceret (85).

Quisque nobiscum agnoscet, huncce Eleazarum ejusdem farinae fuisse ac *Pharisaei* illi fuere, qui *Christiani* facti, horum coetum immoderato suo zelo conturbarunt. Mitioris sententiae, quam Ananias sequebatur, indicia reperimus in opinione, quam conventus ille *Hierosolymitanus* professus est. Neque mirum nobis accidet, *Judaeo-Christianos* favisse huic opinioni; ipsis enim propter indolem religionis suae, minoris jam pretii observatio rituum externorum videri debebat. At ve-

(85) Vid. Josephus *Antiqq.* Lib. XX. c. 2. p. 685 sq.

vero quantiscunque laudibus decretum hoc *Apostolorum* celebrari mereatur, minime tamen dicendo minuere velimus controversiis et sententiarum discrepantiam, quae prima Christianae disciplinae tempora conturbarunt et diviserunt.

§. 18. *De sequelis, quibus ansam dedit Decretum Apostolicum.*

Jam eo pervenimus, ut accuratius possimus definire, quales fuerint sentiendi rationes, quas primordia rei Christianae exhibuerunt. Sententia, quae circa Mosaicam legem in conventu Apostolico praevaluit haec fuit: *Ethnico-Christiani* hujus legis observatione non tenentur; *Judaeo-Christiani* vero possunt et debent eam observare, quippe ad ipsos modo pertinentem. Hoc ultimum ex alto silentio colligi licet, quod circa *Judaeo-Christianos* in Epistolâ ad *Antiochenos* et alios datâ obtinet; et sane imprudentissime egissent *Apostoli*, si coetui *Hierosolymitano*, vigente adhuc solemni cultus Mosaici pompâ, hoc eripere conati fuissent.

In ipso tamen Decreto semina cernuntur mitioris et liberioris doctrinae, quae lapsu temporis apud *Christianos* prae reliquis sententiis praevaluit. In promtu erat dubium, siquidem omnes Christi sectatores tantum fide et resipiscentiâ salutem acquirere possent, non adeo magni momenti esse *Judaeorum* institutionis observationem. Et facilis eo perduci posset ratiocinatio, religionem Christi causam esse, cur prorsus pristina oeconomia in de-

desuetudinem abiret; nam videbatur supervacua facta esse. *Judaei* ipsi, qui nomen Christo dederant, externorum imprimis terras incolentes, rituum suorum pertaesi, eos missos facere potuissent; praecipue eo perducti, quod suae religionis ritibus et praeceptis saepius ludibrio aliorum expositi fuerant. Conditiones illae, quas offensionis evitandae causâ, decreto suo addiderant *Apostoli*, non ejusmodi erant, ut multum impedimenti afferrent. Spatium dabant et opportunitatem liberiori interpretationi, quam de hisce rebus deinde Paulum inculcantem videbimus. Hic fuit imprimis, qui hanc opinionem quam maxime Christi doctrinae indoli morali convenientem, defendit et promovit et conamina *Judaizantium* irrita reddere studuit.

Hoc enim hominum genus, quamvis in conventu *Hierosolymitano* ab aliter sentientibus profligatum fuerat, hac ipsâ causâ nova instituit conamina. Oppositione, quam subierant, magis magisque exacerbati, novos sumserunt spiritus. Ut fieri solet, aliâ ratione comparare jam studuerunt, quod primo impetu perdiderant. Circumvagantes illos mox videbimus coetus recens conditos extra *Palaestinam*, omnes turbarum furore miscentes, et ubivis doctrinam suam pestiferam disseminantes. Horum studiis factum est, ut eveheret se doctrinae forma, *Judaismo* mixta eique superstructa. Quae antea in latebris *Christianorum* hic illic se occultaverant, jam in lucem prodeunt, et belli atrox imago ubique se offert. Germana disciplina Christi, eorum opinionibus obscu-

scurata, et religionis forma condita fuit ex disjectis membris utriusque doctrinae conficta et consarcinata. Quid multa? *Judaeo-Christianismus* veri nominis se exhibet, ac Christi disciplinae interitum minitatur.

Jam quisque videt, tres, ut ita dicam, opinionum formas se ostendisse apud Christi sectatores. Ne in sequenti nostrâ disputatione, semper molestas adhibeamus circumlocutiones, unicuique sentiendi rationi nomen suum imponere volumus. Primam, de qua locuti sumus appellamus rationem *Petrinam:* nam hicce *Apostolus* fuit, qui primam proposuit sententiam, quam totus conventus deinde suâ auctoritate comprobavit. Ei favebant, qui mediam quasi viam ingressi, *Ethnico-Christianis* jura sua vindicarunt, quod ad *Judaeo-Christianos* attinet, causam intactam siverunt. Alteram rationem, quam deinde suam fecit ecclesia Catholica seculo secundo imprimis, a suo vindice acerrimo Paulo, *Paulinam* nuncupare consentaneum est. Tertiam, quam tenuerunt *Pharisaîsmo* addicti, *Judaizantem* vocamus (86).

Haec

(86) J. E. C. Schmidt, *Handbuch der Christl. Kirchengeschichte*, T. I. p. 180 sq. opiniones circa observationem legis Mosaicae alio modo distinxit. Primam rationem vocat *Petrinam*, id est plane Judaizantem; alteram *Paulinam*, quâ soli *Judaei* obstringebantur; tertiam *Ecclesiae Catholicae*. Sed minus nobis haec divisio placuit, quia nondum persuasum nobis est, quod statuit vir ille ingeniosus, Petrum deinde *Judaizantium* partibus favisse, et sic semper Paulo obstitisse, uti de eo narratur *Gal.* II, 11 sqq. Videtur potius mediam quasi viam incessisse, sententiae, quam professus est in conventu *Hierosolymitano* consentaneam.

Haec nomina, re bene perpensâ, prae ceteris nobis placuerunt, quamquam si cui alia magis arrideant, cum eo non multum pugnabimus. Hoc lectores teneant, nos minime hujus esse opinionis, quasi Christi sectatores in tres partes se separaverint, singulas suos coetus habentes. Contra fuerunt sentiendi modi, qui saepius in unâ eademque ecclesiâ patronos suos habuerunt, inter se pugnantes, donec tandem unus vel alter dominaretur. Possint quoque opinionum discrimina ad duo praecipua referri, quorum unum *Ethnico-Christianorum* causam defendebat, alterum *Judaeo-Christianis* favebat. Tum hoc partim constabit ejusmodi hominibus, qui rigidiores, et talibus qui, mitioris opinionis studiosi essent. Sed prior ratio rem ipsam clariore in luce ponit. Itaque ad eam identidem redeundi locus nobis aderit in ulteriore disputationis cursu.



CAPUT TERTIUM.

DE JUDAEO-CHRISTIANISMO OMNES VIRES SUAS EXSERENTE, A PAULO ACERRIME IMPUGNATO.

§. 19. *De Judaeo-Christianismo* Paulum *aptissimum oppugnatorem nacto.*

Pervenimus jam ad illud temporis spatium, quo *Judaeo-Christianismus* maxime vires suas collegit, earumque periculum fecit in bello aperto contra dissentientes Christi sectatores gesto. Qualem ejus imaginem informare debemus, facillime inveniemus, cum acrem ejus contemplabimur luctam, fanatico incensam furore, omni nervorum contentione se manifestam reddentem. Sed divinae Providentiae curâ effectum est, ut simul acerrimus vindex *Ethnico-Christianorum* se ostenderet, qui pro maximâ parte adversariorum conamina irrita redderet. Neque tamen caveri potuit, quin multae ecclesiae recens conditae *Judaizantium* conamina, magno suo damno, persentirent. Exinde ab utrâque parte saepius lites aguntur; tranquillitas coe-

coetuum turbatur; hic illic, ut solet, nimio suae opinionis studio abrepti, invidiosius in alios animadvertunt, et rixandi augetur amor. Ejusmodi scena motibus turbata et litibus discors nos ad se vocat; nec tamen suo fructu carebit contemplatio, quippe quae simul virum egregium, neque alicui mortalium aequiparandum ad notitiam nostram duxit. Paulum nos designare his laudibus, nemo dubius haerebit. Ille fuit imprimis, qui felici successu *Judaizantium* moliminibus obviam ire potuit, et germanam Christi doctrinam ab aliorum sordibus et nugis alienis purgare. Nos hoc minime gratis sumere, sequens ostendet disputatio. Verum antequam ulterius in viam procedamus, quaedam in medium afferre de indole et sentiendi ratione Pauli, quantum ad nostrum pertinet argumentum, minime alienum putamus.

Primum nobis animadvertendum videtur, Paulum fuisse *Judaeum* extra *Palaestinam* natum. *Tarsi*, ubi natus fuit, commercium habuit cum Gentilibus, qui ideo minus odiosi ei apparere debebant, quam quidem aliis *Judaeis* in ipsâ *Palaestinâ* degentibus. Quid mirum, eum in urbe bonarum artium flore celebratâ sensu literarum *Graecarum* imbutum fuisse (1). Graecâ igitur erudi-

(1) Strabo, Lib. XIV. c. 5. de *Tarso* affirmat: τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρός τε φιλοσοφίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονεν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας, καὶ Ἀλεξάνδρειαν, καὶ εἴτινα ἄλλον τόπον δυνατὸν εἰπεῖν, ἐν ᾧ σχολαὶ καὶ διατριβαὶ τῶν φιλοσόφων γεγόνασι p. 228, et dein plures viros *Tarsen-*

ditione quadamtenus saltem instructus, facile eo adducebatur, ut se extolleret supra cogitandi rationem ceterorum *Judaeorum*, arctis finibus circumscriptam. Porro, cum antea inconsulto studio sectae *Pharisaicae* adhaereret, et Mosaicae religionis acerrimum defensorem se ostenderet, mox vero miraculoso modo ad Christi fidem perductus (2), ipse imprimis odio habere debuit insanum hoc studium, cujus furoris ipse exemplar vividissimum exstiterat. Quanto magis ipsi doleret pristina sentiendi et agendi ratio, tanto magis abhorruit ab omnibus illis hominibus, qui *Pharisaeismum* cum purâ Christi disciplinâ jungere vellent. Accessit deinde odium inveteratum, quo in eum ferebantur populares ipsi. Tranquillam commorationem in *Palaestinâ* ei denegabant (3). *Hierosolymitani* multo magis ipsum odio

senses doctrinae copiâ celebres laudat. De *Graecâ* eruditione Pauli leg. Michaëlis *Einleit.* §. 23. T. I. p. 150—157. Edit. 3. in 4to Götting. 1777, qui hac de re mediam sententiam tuitus est.

(2) De memorabili Pauli mentis mutatione vid. Ven. A. G. Haselaar, *de nonnullis Actuum Apostt. et Epistt. Paullinarum ad historiam Pauli pertinentibus locis*, p. 62—78.

(3) Quoties *Hierosolymis* fuerit Paulus post conversionem, enumeravit Capellus l. c. p. 38, 39. Scilicet primâ vice salutaturus Petrum, *Act.* IX, 26. *Gal.* I, 18. Alterâ, ad deferendas *Antiochenorum* eleemosynas *Act.* XI, 30. Tertiâ, cum conventus Apostolicus haberetur *Act.* XVI. *Gal.* II, 1. Quartâ, post secundum iter suum *Act.* XVIII, 22 sqq. Quintâ, cum in vincula conjectus est *Act.* XXI sqq. De quartâ tamen vice non adeo certa res est, quamvis plures magni nominis interpretes ajentium partes tueantur, quos vide apud Kuinoe-

odio prosecuti sunt, quam ceteros *Apostolos*. Unde factum est, ut vix aliquid pro Christi causà in *Palaestinà* agere potuerit, et ad exterorum terras se convertere quasi cogeretur (4). Mature jam sensit Paulus se *Apostolum Gentilium* esse destinatum. Hoc ipse ex eo derivare potuit, quod vix fieri posset, ut civium suorum invidiam vinceret, qua eos in se exarsisse, experientià edoctus fuerat. Sed etiam magis ad hancce sententiam ducebatur patefactione divinà, quae ei obtigit post conversionem suam cum *Hierosolymis* esset (5). Et cetera ejus vitae fata satis superque divinam vocem probaverant „*Proficiscere ex hac urbe: nam* „*ad gentes longe hinc dissitas dimittam te*, Paule!" Quomodo identidem ad tantam opinionum sublimitatem et Christi menti quam maxime convenientem se evexerit Pauli animus, vix audemus definire; pertinet enim ad intimos mentis humanae recessus, quos mortali perscrutari nefas (6). Sufficit nobis, ejusmodi hominem fuisse Paulum, qualem historia eum nobis exhibet: quomodo identidem talis sit factus, alii exponere conentur, memores tamen veteris dicti

ὅτι-

noellum ad *Act.* XVIII, 22. Cf. etiam Valesius ad Eusebium, p. 23. B.

(4) Hoc argumentum toto suo ambitu exposuit cl. Palmius in *Serm. Sacr.* Dec. II. p. 277—281.

(5) *Actor.* XXII, 17—21.

(6) Qui tamen desiderat quaedam legere de modo, quo Paulus identidem pervenerit eo, ut latiori et sublimiori adspectu se proponeret doctrinae Christi consilium, adeat Planckium l. c. p. 90—19. multa hac de re egregie monentem.

θνητοῖσιν ἀναιδέστατον πολέων περ
οὐδὲν ἀφραστότερον πέλεται νόου ἀνθρώποισιν (7).

§. 20. *De controversiâ Antiochenâ*, Paulum *inter et* Petrum *actâ*.

Paulus igitur tum ob animi facultates et indolem egregiam, tum ob fata, quae ei primo vitae tempore obtigerant, imprimis ille fuit, qui *Judaeo-Christianismo* obicem ponere posset, certamenque cum ejus fautoribus inire. Ceteri *Apostoli* multo minus huic rei apti fuere. Ipsi enim *Palaestinam* plerumque incolentes, avitam religionem omni suo splendore micantem conspexerant et adeo lenius sentiebant de *Judaeo-Christianis*, qui nimio studio ducebantur ad vindicandam Mosaicam institutionem. Hoc ostenderant statuendo suo decreto, cujus argumentum praecedenti capite perpendimus. Quo *Ethnico-Christianis* quidem libertatem vindicarunt; rem ipsam vero, de quo agebatur quaestio, quod ad *Judaeos* ipsos intactam reliquerant (8). Si quis ta-

(7) *Epigramma* V, Homero vulgo adscriptum.

(8) Observandum enim est, apud ipsos *Judaeos* non tantis noxis ansam dedisse observationem legis, quam apud *Ethnico-Christianos*. Ut hi onus hocce in se susciperent gravissimum, persuaderi iis debebat, salutem ab hac pendere observatione. Et qui hanc persuasionem iis afferre tentaret, in ipsam Christi doctrinam peccavisset, ejusque evertisset fundamentum. Hoc bene tenendum est, si de noxâ et detrimento loquamur, quae ex *Judaismo* repetenda sunt. Vid. Neander l. c. T. I. P. II. p. 605 sq.

tamen existimet, nos nimium dare meritis Pauli, detrahere vero quid laudibus *Apostolorum* reliquorum, contempletur nobiscum Petrum et Paulum in controversiâ *Antiochiae* ortâ agentes.

Petrus *Antiochiam* venerat, ibique nullus dubitavit commercium habere familiare cum *Ethnico-Christianis* (9), et sic ostendit se revera eundem esse, qui primus Cornelio Euangelium annuntiaverat et strenue causam Gentilium in conventu *Hierosolymitano* in se susceperat. Sed veniunt quidam e coetu *Hierosolymitano*, Jacobi auctoritatem prae se ferentes (10), patronos acerrimos legis Judaicae se gerentes. Horum metu perculsus

(9) *Gal.* II, 11 sqq. Difficilius est quaestioni, momento suo non carenti, respondere, num haec controversia inter Petrum et Paulum locum habuerit, *ante* vel *post* conventum *Hierosolymitanum*. *Ante* illum obtinuisse, inter alios statuunt Basnage l. c. p. 592. praeeunte jam Augustino, Epist. 19. et Semler in *Proll. ad interp. ad Gal.* p. 60. Plerique vero *post* conventum ponunt, uti Buddeus l. c. p. 668. consentientibus Baronio, Tillemontio, Witsio ibi citatis. Capellus l. c. p. 15. J. E. C. Schmidt l. c. p. 77. Borger ad *Gal.* II, 11. Haec sententia nobis magis placet, imprimis hanc ob causam, quod Paulus ipse ratione sua, qua hujus altercationis narrationem cum praecedentibus connectat, temporis posterioris indicium exhibere videtur. Digna tamen est, quae notetur, sententia Planckii (l. c. p. 155—164), qui rem sic disposuit, ut eodem tempore locum obtinuisse videantur: ita ut iidem sint τινες ἀπὸ Ἰακώβου *Gal.* II, 12. et illi *Judaei* qui memorantur *Actor.* XV, 1.

(10) Dubium est, num illud ἀπὸ Ἰακώβου vs. 12 intelligi debeat ita, ut Jacobus hos homines misisse statuatur, an vero res sic exponenda sit, ut nomen Jacobi illos mentitos esse dicamus.

sus conventum Gentilium evitat et separat se ab illis. Hujus viri ad exemplum reliqua se componit turba *Judaeo-Christianorum*, ipse adeo Barnabas, quem cum Paulo vindicem juris Gentilium antea vidimus (11). Non, quod ipsis subito persuasum fuerit, *Ethnico-Christianos* ex numero Christi sectatorum esse eximendos; sed nimiâ curâ ducebantur, ne offenderent populares suos: itaque simulabant (12), donec ii adessent, se legis Mosaïcae amantissimos. At vero ejusmodi simulatio minime placuit Pauli menti, cui nihil carius, nihil antiquius, quam veram Jesu doctrinae indolem illibatam servare. Publice obstitit Petro ejusque sequacibus, dixitque, minime sibi ipsos constare, qui, cum antea se Gentilibus composuerant, nunc jam exempli sui efficacitate, hos cogere vellent, ut *Judaeorum* ritus observarent (13). Ex hacce historia luculentissime apparet, quam necessaria fuerit Pauli auctoritas, ut malo irrepenti obviam iretur. Qua in re et Petrus et Barnabas tantam humanae naturae imbecillitatem, excusandam omnino, sed pessimi exempli tamen, ostenderant. Hoc autem excu-

(11) *Gal.* l. c. vs. 13.

(12) *Judaeo-Christiani* cum Petro *συνυπεκρίθησαν* et agendi ipsorum ratio vocatur *ὑπόκρισις*. Cf. Planck l. c. p. 160.

(13) *Gal.* l. c. vs. 14 sqq. Quaeritur, ubinam desinat oratio Pauli, num vs. jam 14, an vero protrahi debeat ad finem capitis usque. Pro hac opinione afferri potest orationis inversio ad *Galatas* ipsos Cap. III, 1. Illam suadere videtur, quod inde a vs. 19. multa occurrunt, quae Paulus minime necesse habuerit Petro exponere. Sed cf. Borger ad h. l.

cusationis locum obtinere videtur, Petrum hoc fecisse metu ductum, ne scissio oriretur inter duas partes. Concedendo aliquid *Judaizantibus*, putavit forte cautum esse, ne horum animi exacerbarentur. Consilium quidem bonum dici meretur, sed modus, quo eo pervenire voluit, imprudentiae culpâ non vacat. Agendi enim ratione in praecipuum Christi disciplinae caput peccarunt, omnes sine discrimine ejus cultores fide tantum et resipiscentiâ ad salutem aeternam pervenire. Maximis laudibus dignus igitur est Paulus, qui nullo modo Petri auctoritate, qua inter *Christianos* gaudebat, deterritus, ei obviam ivit, et ob oculos posuit noxam, cui tali agendi modo ipse ansam praeberet.

Quemadmodum Paulus hac occasione se acerrimum vindicem *Ethnico-Christianorum* praestitit, sic eum reperiemus per omnem vitae cursum *Judaizantium* factioni se opponentem. Hoc adspectu hunc virum excellentissimum, et rei Christianae utilissimum, contemplari jam in animo est. Simul hoc modo clare nobis apparebunt conamina ejus adversariorum vario modo variis in coetibus. Ab unâ parte *Judaeo-Christianismus* omni suâ vi et efficacitate apparebit; ab alterâ germana Christiana disciplina, Pauli scriptis et vindiciis instructa et illustrata. Talem orationis cursum nobis proposuimus, ut singulas ecclesias, ad quas Paulus epistolas (monumenta unice fide digna) dedit, perlustrantes, colligamus, quanam ratione *Judaizantes* suas opiniones ibi disseminaverint, et quanam ratione Paulus se iis oppo-

fuerit. Cursus initium faciemus ab Ecclesiis *Galaticis*, quippe primis coetibus a Paulo conditis. Dein *Graeciam* visitabimus, unde facilis transitus in *Asiam Minorem* occidentalem. Tandem *Romam* adibimus, quousque ratio *Judaizans* nociva sua vestigia extendit. Hoc unum teneant lectores nostri, rogamus, nos minime uniuscujusque Epistolae *Paulinae* expositionem velle exhibere; sed argumenti nostri rationis memores, id solummodo ex hisce scriptis excerpere, quod facere autumamus ad *Judaeo-Christianismi* naturam et conamina illustranda et vindicanda. Nisi sic agamus, nostra scriptio immensam in molem cresceret, et in alienum campum divagaretur.

§. 21. *De Judaizantium opinionibus, per coetus Galaticos disseminatis.*

Judaizantium conamina omni suo ambitu sese ostenderunt in coetibus illis, qui *Galaticam* terram occupabant. Hancce regionem etiam adierat Paulus, ut nuntium ibi afferret decreti Apostolici *Hierosolymis* sanciti (14). Requirebatur o-

(14) *Actor.* XVI, 4 — 6. Videtur Paulus antea jam in *Galatia* affuisse, etiam Euangelium annuntiasse, uti apparet ex *Actor.* XIV, 6. In quo loco τὴν περίχωρον Koppe in *Proll.* in *Epist. ad Gal.* p. 8. de *Galatia* intelligit, negante tamen Hugio, *Einleit.* T. II. p. 352 sq. Edit. 3. 1826. Quae sententia etiam placuit Borgero l. c. p. 16 in nota. Alio modo ad eandem opinionem pervenit Mynster l. supra c. p. 53 sqq. Scilicet probare studuerat vir doctus, sub nomine *Galatiae* comprehendi etiam *Pisidiae*, et *Lycaoniae* coetus. De *Antiochia* illa Pi-

omnino, ut hoc decretum observaretur in ecclesiis, quae partim ex *Judaeis*, partim ex *Gentilibus* constabant. Quidquid auctoritatis ibi haberet Paulus, cavere non potuit, quin studium illud pro legibus Mosaïcis strenuos repériret fautores et defensores in coetibus *Galatarum*; qui tanto successu rem suam egerunt, ut religionem Christianam, cui assensum dederant *Galatae*, in *Judaismum* fere converterent. Factio enim illa *Pharisaïca*, post conventum *Hierosolymitanum*, spe suâ et exspectatione dejecta, iram suam imprimis converterat in Paulum, in quem omnem culpam rejecerant, et ideo vehementissime odio habere necesse fuit (15). Quocunque veniat ille *Apostolus*, atrocissimos adversarios *Judaeos* habet, qui propagationi religionis Christianae se opponunt, aut, si quosdam sectatores nactus fuerit Paulus, hos depravare student pestiferâ suâ doctrinâ. In *Galatiâ*, ubi multi *Judaei* aderant, bono successu utuntur, et mox omnem fere fructum, quem habuit Paulina institutio, everterunt (16).

Per-

Pisidiae hoc demonstravit ex loco quodam Ptolemaei *Geogr.* cit. p. 62. Magnâ probabilitatis specie ejus argumenta gaudent. Scribit porro p. 63 sqq. sic in concordiam redigi, quae Lucas habet de vexationibus, Paulo *Antiochiae*, *Lystris* alibique, allatis, cum *Gal.* IV, 13, 14; ubi Apostolus dixit, se Euangelium *Galatis* praedicâsse *δι᾽ ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς*, quod de calamitatibus et vexationibus intelligimus, collatis tum vs. 14. sequente *πειρασμόν*, tum usu vocis *ἀσθένεια* 1 *Cor.* XI, 30 sqq. Legg. Borger ad *Gal.* IV, 13. et Mynster, p. 68 sq.

(15) Vid. Planck l. c. p. 173 sqq.

(16) Vid. Hug. l. c. p. 356.

Persuaserant nimirum *Christianis Galaticis*, ut rituum Mosaïcorum observationem, et imprimis circumcisionis in se susciperent. Homines illi, nisi omnes, saltem plerique videntur religionis Christianae professionem magis simulâsse, quam vere ei fidem habuisse. Non fuerunt ejusmodi *Christiani* e *Judaeis* oriundi, qui ob opinionum quandam imbecillitatem, nimis honorifice de avitâ sentirent religione. Si quidem tales fuissent, non tam acriter in ipsos invectus fuisset Paulus, qui bene solebat distinguere inter fratres suos *ἀσθενοῦντας τῇ πίστει*, et conturbatores istos *Christianorum*, qui germanam Christi doctrinam evertere conarentur (17). Istis turbarum motoribus imprimis momenti erat, ut Pauli auctoritatem quam maxime infringerent. Videntur hoc consilium ita ad exitum perduxisse, ut *Galatis* fictos rumores de *Apostolo* narrarent. Minime divinâ auctoritate eum gaudere, ut reliquos *Apostolos*, dictitâsse videntur. Ut hoc probarent, falsas narrationes de vitâ et fatis Pauli sparserunt (18). Neque fugere ipsos potuit, in conventu *Hierosolymitano* decretum sancitum esse, quod in commodum suum contorquere possent. Pau-

(17) *Gal.* I, 7. De vi verborum *ταράσσειν* et *μεταστρέφειν*, quibus hic utitur Paulus, cf. Borger ad h. l. p. 88. De toto quaestionis statu inter *Judaizantes* et *Paulinos* non sine fructu legetur Buddeus l. c. p. 129 sqq.

(18) Hoc deducimus ex solemni Pauli declaratione, quae exstat *Gal.* I, 20. et ex narratione, quam copiosius deinde de vitae suae vicissitudinibus anterioribus instituit *ibid.* vs. 21 — 24. II, 1 sqq.

Paulus decretum hocce ab *Apostolis* factum, ecclesiis annunciaverat. Inde specie quadam fingere potuerunt ejus adversarii, Paulum modo egisse legatum *Apostolorum*, non vero divinum doctorem, cujus mandata omni exceptione majora essent. Videntur porro inconstantiae crimen in eum retorsisse: quasi antea rituum Mosaïcorum observationem rejecisset, nunc vero se iis accommodare vellet, *Apostolorum* placito meliora edoctus. Quod Timotheum circumcidi curaverat, offensionis vitandae gratiâ, quam aliter agens *Judaeis* parere posset (19), hoc qualecunque praebebat argumentum, quo iniquum judicium adversariorum uteretur.

Cum ejusmodi criminationibus et cavillationibus *Apostoli* auctoritatem apud *Galatas* labefactâssent, facile, extollendâ divinâ origine legis Mosaïcae, et promissionum *Israëlitis* factarum jactandâ magnitudine, fucum facere possent hominibus recens ad religionem adductis Christianam. Sic igitur *Galatae* illi, vanorum hominum commentis callide propositis et ornatis, ad *Judaïsmum* perducuntur, et flori laeto, quo in eorum regione fruebatur res Christiana, interitus et clades affertur. Ecce jam primum exemplum insani hujus studii *Judaizantium*. Videbatur modo in Pauli auctoritatem injuriosius agi, sed reverâ Chri-

(19) *Actor.* XVI, 1—3. Ceterum de *Judaizantium* conaminibus in ecclesiis *Galaticis* vidd. Michaëlis *Einleit.* T. II. p. 1011 sq. et imprimis Borger l. c. *Proll.* p. 12—19. qui multa egregie monuit.

Christi doctrina germana locum cesserat *Judaismo*. Si modo vim exseruisset in ipsos *Judaeo-Christianos*, non adeo magnum detrimentum allatum fuisset, sed ipsi *Ethnico-Christiani* in devia rapiuntur et misere bono suo, quod vix cognoverant, spoliantur. Paulus turbatum rerum statum audit, et egregiâ suâ Epistolâ malo obviam ire conatur (20). Videamus jam, quomodo causam contra malevolos defenderit, et Christi doctrinae honorem suum obscuratum restituerit.

§. 22. *De Epistolâ* Pauli *ad Galatas*, *Judaizantibus oppositâ*.

Analysin exhibere hujus ad *Galatas* Epistolae, minime nobis in animo est: nam ejusmodi expositio, quamvis utilitatis fructu non careat, et solet taedium creare lectoribus, et dictorum cujusdam scriptoris venas et nervos incidere. Malumus talia ex eâ excerpere argumenta, quae nobis depingant Paulum *Ethnico-Christianorum* strenuum vindicem et *Judaizantium* adversarium; neque difficilis hoc labor nobis erit: totum enim hujus Epistolae argumentum in eo versatur, ut *Galatas Ju-*

(20) De loco et tempore, quo scripta est Epistola, non agimus. Qui hujus quaestionis satis jejunae et dissidii plenae tractationem legere cupiat, evolvat Michaëlem l. c. p. 1007 sqq. Hug l. c. p. 351; Borger l. c. p. 25—37. Mynster l. c. p. 71 sq. Plerumque ejus exaratio ad annum 52 referri solet, cum Paulus in *Graecia* versaretur. Unde fit, ut nisi primum, saltem inter primas, haec Epistola occupat locum, quam a Paulo scriptam habemus.

Judaismo deditos reducat ad pristinam doctrinae rationem, quam Paulus eos docuerat.

Gratulari nobis debemus, ejusmodi quid molitos esse *Judaizantes* illos: nam hoc eorum damno effectum est, ut clare et copiose sententiam suam de lege ejusque observatione professus sit *Apostolus*. Insolentia, qua rem suam egerant *Judaei* illi, merito exacerbavit eximii viri mentem; et damnum, quo minabantur puriorem disciplinam, effecit, ut omnes ingenii nervos intenderet Paulus, quo hostilem impetum funderet fugaretque. Docet ipsos, qui putarent, recte Christi doctrinam cum observatione legis conjungi, *Christianorum* nomine esse indignos (21). Sic enim duo commiscere tentâsse, quae naturâ suâ et indole minime inter se conspirent. Totus versatur in scripto suo componendo, ut clare ostendat, quantum discrimen intercedat inter legem Mosaicam, et Christi disciplinam. Haecce hominibus veram libertatem attulit, legis observatio contrâ servos reddit homines miserrimos (22).

Legem comparat cum paedagogo, a cujus impe-

(21) *Gal.* V, 2, 3. „*Ego vero* Paulus, *ita vos vobis* „*persuadeatis velim, nullos omnino fructus e* Christo *ejus*„*que disciplina vos esse percepturos, si istorum* (ψευδοδιδασκά„λων) *voluntati monitisque sitis obsecuturi. Imo vero ita* „*statuo, unumquemque, qui circumcisionem suscipiat, ne* „*Christianum quidem esse dicendum, sed Judaeis potius annu*„*merandum, quia hoc ipso ritu legibus Mosaicis obstringitur* „*universis, iisque parere debet.*" Sic eleganter hunc locum παραφράζει Borgerus.

(22) *Gal.* II, 4. IV, 3, 5—7. V, 1, 13.

perio nos vindicavit Christus (23). Qui legem observant, et per eam salutem consequi vellent, poenis divinis esse obnoxios, a quibus Christus morte suâ expiatoriâ homines liberavit (24). Inde jure conficit Paulus insaniae magnae culpâ *Galatas* eximendos non esse, qui cum primo ad salutarem doctrinam Christi adducti essent, dein meliore abjectâ et flocci habitâ, ad jejunam praeceptorum Mosaicorum observationem se perduci passi fuerant (25). Hac opportunitate usus *Apostolus*, doctrinam suam exponit, quae fundamenti instar totius Christi disciplinae haberi potest: „*Tantummodo fide* Christo „*ejusque meritis habitâ, salutem veram nancisci* „*hominem, non autem nudis praeceptis legis ob-* „*servandis* (26)." Quae cum ita essent, nullius pretii facta est legis *Judaicae* observatio illis hominibus, qui omnia omnino e Christi doctrinâ haurire debebant, omnes sine discrimine homines uno eodemque vinculo jungente (27).

In

(23) *Gal.* III, 24 et 25. *coll.* IV, 1—3.

(24) *Gal.* III, 10—14.

(25) *Gal.* III, 1—3. Redilsse dicuntur *Galatas* ad *τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα* *Gal.* IV, 9. quibus verbis egregie depingit Paulus institutionem Mosaicam, quae propter externam rituum pompam, omnemque ejus indolem egregie conveniret infantili hominum conditioni. Cf. Borger in annot. ad *Gal.* IV, 9, 10.

(26) *Gal.* II, 16. De hoc vs. omnino leg. Borger. Ceterum ne citata cumulem, de vi vocis *δικαιοῦσθαι* et affinibus instar omnium legatur Voorstius, vir celeberrimus, in *Annot. in loca Selecta N. F.* Spec. II. p. 61 sqq.

(27) *Gal.* V, 6. VI, 15, 22—27.

In cursu disputationis Paulinae hoc observare subit, virum egregium hoc bene vidisse, oeconomiam Mosaicam, quam eximia fuerit respectu habito aetatis populique rationis, minime tamen convenire *Christianis*, qui illustriori omnibusque aetatibus aptâ doctrinâ gaudebant. Christi doctrina ad altiorem et sublimiorem gradum adduxit homines, quali nunquam adhibitâ veteri oeconomia attingere potuerunt. Huc facit solemnis modus, quo Paulus jam ab initio Epistolae auctoritatem suam divinitus ei concessam vindicat (28) negatque, qualescunque tandem fuerint *Apostoli* reliqui, se minime pendere ab eorum auctoritate, sed aequalem prorsus se iis esse (29). Jure itaque viro recte sibi conscio stomachum movere debuit indigna tractatio, qua ψευδοδιδάσκαλοι illi *Judaei* circa eum versati fuerant; jure meritoque ἀνάθεμα in illos falsos doctores jaculatur, qui pestes verae disciplinae dici mereantur (30). At-

(28) *Gal.* I, 10—12. Huc facit etiam repetitio illa in inscriptione hujus Epistolae *οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου*, que in phrasi non adeo diversum quid quaeri debet, quam potius efficacem sententiae expressionem, se minime ab auctoritate hominum pendere, neque ab iis edoctum esse. Cff. Borger et cl. v. d. Palm ad h. l.

(29) *Gal.* II, 6—9. Notetur imprimis vs. 6, ubi dixit: „ *Quod vero attinet ad illos* (*Apostolos*) *qui magno honore* „ *haberi solent, quales tandem fuerint ad me nihil pertinet:* (*οὐδέν μοι διαφέρει* sic exponi debere docuit Borger ad h. l. p. 126.) „ *Deus autem personas non respicit: nam nobiles illi* „ *viri* (*οἱ δοκοῦντες* ex praecedd. supple *εἶναί τι*) *nihil me do-* „ *cuerunt novi* (*προσανέθεντο*)."

(30) *Gal.* I, 8, 9. *ἀνάθεμα Hebr.* חֵרֶם significat *id, quod* de-

Attendendum deinde est, quam eximie horum nebulonum argumenta dolosa enervet. Abrahami jactantur stirpem, et promissiones magnificas ejus prosapiaé datas. Ut quis earum fiat particeps, necesse esse, clamitant, ut circumcisionis aliorumque institutorum observantiâ *Abrahamidarum* in numerum referatur. At vero quam egregie hoc argumentum in ipsos adversarios retorsit. Non legis observatione, sed fide cernuntur germani filii Abrahami; quid enim de illo dictum est? „*fidem habuit* Deo, *et hoc modo divini favoris usus ei concedebatur.*" *Christiani* ergo sunt, ad quos promissiones pertineant, et hi tantummodo vera Abrahami prosapia dici merentur (31). Divinam porro legis Mosaicae originem extollentes eos audiverat Paulus, nec tamen hoc argumentum molestiam ei creat; ingeniosâ ratione etiam illud vi suâ spoliat, monendo, institutionem Mosaicam temporibus suis accommodatam minime labefactare pristinum Abrahamo datum promissum; nam quod Deus semel dixit futurum esse, nulla res unquam vanum reddere potest aut irritum (32).

Ad-

devotum est; morti destinatum. Hinc abiit in *exsecrandi* formulam. Potest etiam explicari de *expulsione ex Ecclesia*, ut sensus sit *cum tali homine consortium habendum non est.* Celebris est hic usus in canonibus conciliorum in haereticis damnandis, cujus exempla lege apud Suicerum l. c. voce. *ἀνάθεμα*, p. 270.

(31) *Gal.* III, 6—9. III, 29.

(32) *Gal.* III, 15—18. In vs. 16. cerni exemplum illustre argumentandi rationis, quae tempore Pauli apud *Judaeos* obtinuit.

Admiramur argumentandi rationem, qua Paulus hic utitur, ad persuasionem aptissimam; et quamvis insunt quaedam ejus scripto, quae minorem seriori aevo vim habere videantur, rationum tamen conclusio ejusmodi sese habet, ut quisque assensum ei det, cui bene persuasum est de germanâ Christi doctrinâ. Neque huic laudationi quid detrahit observatio interpretationis Allegoricae, qua doctrinae suae expositionem illustrare conatus est. Hac enim similitudine, quae obtinebat inter Saram liberam uxorem, et Hagaram servam ipsorumque filios, et inter *Christianos* et *Judaeos*, animos lectorum commovere potuit, quibus jam aliis argumentis persuasum fuerat (33). Ejusmodi interpretandi ratio Pauli aetate celebritatem nacta erat et jure eâ utitur sapientissimus doctor, quippe quae captui lectorum accommodata esset quam maxime. Quidquid autem hujus rei est, admiramur et in eo eximii viri acumen ingenii, orationis copiam et ubertatem.

Ex hujus Epistolae argumento et ratione luce cla-

nuerit, non facile quis negabit. Si cui tamen forte minus digna videtur tanto talique viro, videat, num acquiescere possit in iis, quae monuit Borger l. c. p. 204. sqq.

(33) *Gal.* IV, 22—31. Quamvis ejusmodi interpretationes Allegoricae, praesertim quales doctores Ecclesiastici deinde confecerunt, inanes et risu saepe dignae videntur, negari tamen nequit, ingenii acumen quoddam non raro in iis cerni. Si quis discrimen videre cupiat, quod intercedat inter exponendi rationes, comparet nostrum locum Paulinum, cum loco quodam non dissimili, quem notavimus in Epistola Pseudo-Barnabae, cap. 13. p. 41, 42. Edit. Cotel. Ceterum cf. Neander l. c. P. III. p. 947 sqq.

clarius apparet, quam apta fuerit sentiendi ratio Paulina, ut malis, a *Judaizantibus* creatis, obviam iret; porro, quantum discrimen intercederet inter doctrinam, qualem vir ille eximius proposuit et monstrosam conjunctionem doctrinae Euangelicae et *Judaismi*, quam plures horum temporum doctores in Ecclesiam volebant admittere. Cum igitur ab unâ parte doleamus detrimentum, quod primum seculum jam viderat, originem plurium noxarum, ab alterâ parte summopere laetamur, tunc temporis exstitisse Paulum acerrimum vindicem germanae Christi doctrinae. Talem tantumque virum, difficili muneri, quo fungebatur, aptissimum, Epistola ad *Galatas* nobis exhibet Paulum, nec dubitandi adest causa, quin ejusmodi scriptum, sicut alia eodem consilio exarata, rerum faciem identidem immutaverit, et meliores doctrinae propagaverit semina, quorum laetam messem serior tandem adspexit aetas.

Nemo nobis in vitium vertit, nos paulo diutius in hac Epistolâ esse immoratos Nam ex eâ optime nobis imaginem informare possumus opinionem *Judaizantium* et doctrinae Christianae ex Pauli mente iis oppositae. Et bene his omnibus perpensis, status quaestionis, quantum fieri potest, unicuique planus est et apertus. In perlustrandis reliquis Pauli scriptis brevioribus nobis esse licebit: ceteri enim coetus *Judaicorum* placitorum faece turbati, eadem fere nobis exhibebunt mala et ex eadem repetenda origine.

§. 23.

§. 23. *De vestigiis Judaeo-Christianismi in Ecclesiis Macedonicis.*

Paulus iterum novam peragrationem inceperat, comite Sila, cum dissidium ortum fuerat inter Barnabam et Paulum (34). In hoc itinere revisit coetus, per *Lycaoniam*, et *Galatiam* dispersos Deinde consilium cepit in *Mysiam* et *Bithyniam* penetrandi, sed impedimento quodam permotus, in oram occidentalem *Asiae Minoris* tendit. Hinc mari trajecto in *Macedoniam* venit, et sic primus omnium Euangelium in *Europa* annunciavit (35). Tum *Macedoniam* peragrans, *Philippos*, *Thessalonicam*, *Beroeam* adiit, ibique non spernendam sectatorum numerum sibi acquisivit. Sed *Judaeorum* infestis insidiis vexatus et propulsus breviori tempore in hisce urbibus sedem figere ei contigit. Postquam *Athenas* etiam viderat, *Corinthum* venit. In hac urbe autem, artibus et mercaturâ florente, per annum et dimidium commoratus est. Tandem *Ephesum* profectus et hinc *Palaestinam* peragrans redit *Antiochiam* (36).

Hoc itinere Paulus novum quasi campum aperuit rei Christianae, in quo semina sua fructuo-

(34) *Actor.* XV, 36 sqq. Num inter causas, cur Paulus a Barnaba abalienatus sit, etiam referri debeat, hujus inconstantia in tuenda causa *Ethnico-Christianorum*, qualem nuper ostenderat *Antiochiae*, alii dijudicent. Historia tacente, nolumus hanc adornare conjecturam.

(35) *Actor.* XVI, 1 — 11. Cf. de hoc Pauli itinere Planck l. c. p. 178 sqq.

(36) *Actor.* XVI, 12 sqq. XVII. XVIII, 1 — 22.

ctuosa propagare posset. Quaestio jam in promtu est, num novus ille ager immunis fuerit et purus a venenatâ *Judaizantium* doctrinâ? Si modo cursim inspiciamus narrationem hujus itineris a Luca conscriptam, non sudemus, affirmando huic respondere quaestioni. Per *Macedoniam* et *Graeciam*, *Judaei* quoque Synagogas suas habebant. Has pro more suo Paulus in urbem quandam veniens adire solebat, ut popularibus suis primum novae doctrinae afferret nuncium, utque per hos deinde ad Gentiles perveniret (37). Sed ubique *Judaei*, *Macedones* et *Achaici* ostenderant, se minime mentis obstinatae duritiâ et vanâ ambitione inferiores esse fratribus suis *Palaestinensibus* et *Asiaticis*. Indignissimo modo in Paulum saevierunt; et hinc conjiciendi locus est, post ejus abitum, concordiam inter duas partes, quibus Ecclesiae constarent, non adeo magnam fuisse (38). Quidni statuamus, plures ex adversariis illis Pauli, *Pharisaico* studio incensos, vestigia ipsius secutos esse, ut volucres rapaces viam legere solent, quam seminatorem tenuis-

(37) Synagogas adiit *Philippis*, *Act.* XVI, 13. *Thessalonicae*, XVII, 1, 2. *Beroeae*, ibid. 10. *Athenis*, ibid. 17. *Corinthi*, *Act.* XVIII, 4. *Ephesi*, ibid. 19. Sententiam suam de *Judaeis* diserte expressit Paulus, ibid. 6, 7.

(38) Fatemur quidem vexationes, quas subiit *Apostolus*, a *Judaeis* incredulis motas fuisse, sed odium illud, quo ubique fere in Paulum ferebantur, non plane abjecisse *Judaeos*, qui Christi partibus se adjungerent, et rei ipsius natura docet, et eventus satis superque probavit.

nuisse sciunt? Sed age evolvamus Pauli Epistolas ad Ecclesias hujus regionis datas, et videamus, num et iis insint vestigia *Judaismi* Christianae doctrinae se adjungentis, eamque adulterantia.

Perlectis duabus ad coetum *Thessalonicensem* Epistolis, nihil nobis occurrit, quod turbam quandam a *Judaizantibus* factam innuere videatur: neque talia deprehendimus effata, quae *Judaizantes* spectare putandum est. Nam si Paulus de hoc vel illo malo corrigendo in coetu *Christianorum*, sermonem habet, non statim de Judaicis erroribus cogitandum. Hoc modo partium studio duci jure videremur, quasi omne quod perversum et vitiosum primis hisce temporibus fuerit, ad *Judaizantes* referre velimus. Plura certe reprehensione digna aderant, quae ex longe aliis causis repetenda sunt. Sed occurrit tamen aliquid in *priore* ad *Thessalonicenses*, quod ex Judaïcis opinionibus profectum esse, quis suspicetur. Scilicet opinio illa de adventu Christi mox locum habituro (39). Cui ansam dare potuit crassa illa delineatio apparitionis Messiae, qualem *Judaei* sibi fingere solebant (40). Sed hujus rei ju-

(39) 1 *Thessal.* IV, 13 sqq. V, 1—3. quem locum expositum lege apud Doctiss. J. J. Burgerhoudt in Dissert. *de coetu Christ. Thessal. ortu fatisque* p. 145 sqq. cui videbatur, hunc errorem circa Christi adventum ex pravis *Judaeorum* de Messia opinionibus, repetendum esse. Leg. vir doct. p. 142 sqq.

(40) Cf. Auctor (videtur fuisse *L. F. Leutwein*) libri e Germ. lingua redditi cui titulus: *Ontwerp eener volledige geschiedenis van de godsdienstgevoelens der eerste Christen-eeuw*, T. I. p. 488. qui e *Judaismo* repetit: sed, quamvis doctus ille vir

judicium aliis relinquimus, nobis enim persuasum est, multa huicce sententiae sive conjecturae opponi posse. Potius coetum *Philippis* congregatum adeamus, ibique quid rei sit, consideremus.

In hancce Ecclesiam identidem doctores quosdam *Judaïsmi* magno studio ductos, irrepsisse ex eo perquam fit probabile, quod Paulus magno orationis fervore in ejusmodi invehatur homines. „*Attendite*" inquit „*et evitate*, *Philippenses!* „*canes illos*; *attendite malos operarios*, *attendite* „*concisionem* (κατατομήν) (41)," qua voce summam suam indignationem exprimit in falsos illos doctores, circumcisionis necessitatem multis verbis *Ethnico-Christianis* commendantes. Hos enim intelligi exinde patet, quod mox addit, hos respiciens „*Nos vero sumus circumcisi veri nomi-* „*nis*, *qui animo nostro* Deum *colamus*, *gloriam-* „*que nostram a* Christo *repetamus*, *non vero* „*a signo quodam corpori impresso* (42)." Ex vehementiori animi affectu, quem hoc loco ostendit Paulus, non immerito aliquis conjiceret, Ju-

vir multa egregie monuerit, nimius tamen videtur esse in omnibus erroribus pristini aevi ex *Judaismo* repetendis.

(41) *Philipp.* III, 2. Siquidem illud κύνας, et κακοὺς ἐργάτας cum cl. Palmio in nota ad h. l. ad alios referamus doctores coetum *Philippensium* conturbantes, illud κατατομὴ ad Judaizantes pertinere, nemo facile negabit. De hujus vocabuli notione et usu legantur, quae monuit Doct. J. Hoog, (immatura cheu! morte ecclesiae suisque ereptus), in Dissertat. *De coetus Christianorum Philippensis conditione primaeva* etc. p. 147—151.

(42) *Philipp.* III, 3.

Judaizantium horum conamina effectu minime caruisse, et mores *Christianorum Philippensium* depravâsse. Videntur lapsu temporis magis magisque vires sumsisse falsi illi doctores, ita ut Paulus quam maxime necessarium putaret, adhortatione suâ iteratâ iis obviam ire. Teneamus, hanc ad *Philippenses* Epistolam scriptam esse ultimò vitae Pauli tempore, cum jam *Romae* versabatur, in vincula conjectus (43). Unde hanc facimus conclusionem: Pauli indefessâ curâ averti non potuisse, ne in dies malum a Judaizantibus creatum ingrueret. Exspectandus igitur alius eventus, qui quasi uno ictu omnia haec mala et damna prosterneret. Qualis hic fuerit, deinceps videbimus.

Ceterum turbatores illos Ecclesiae *Philippensis* nobis fingere debemus, tanquam homines pessimis moribus, voluptati libidinibusque deditos, rebus terrestribus tantummodo studentes. Ejusmodi enim est pictura, quam indignanter *Apostolus* de hisce fecit (44). Et convenit omnino cum conditione perditissima, in qua tunc temporis

(43) De tempore, quo scripta sit Epistola, legatur Hoog l. c. p. 39 sqq, qui accurate omnem hanc quaestionem exposuit. Quod nos scripsimus supra, non facile quis in dubium vocabit, quamvis de anno exacto non constaret.

(44) *Philipp.* III, 18—20. de quo cf. Hoog. p. 142—146. qui locum Paulinum I, 10. etiam ad Judaizantes trahit, sed nobis hicce locus nimis est vagus et indefinitus, quam ut ad hos commode referri posse videatur. Fortasse illi, qui ibid. 15 sqq. ἐξ ἐριθείας Christi doctrinam annunciare dicuntur, intelgendi sunt Judaizantes, quibus haec inusta nota bene conveniret. Sed nihil hic affirmamus.

ris gens Judaica versabatur. Studio suo externae religionis observationis, rituumque etiam minutissimorum, compensare hi homines voluerunt internam perniciem et pestem, quibus omne, quod bonum rectumque esset, relinquere infectum solerent.

§. 24. *De Corinthiaco coetu a Judaeo-Christianis turbato.*

Coetûs *Corinthiaci* conditio certiora et evidentiora nobis suppeditabit indicia turbarum a Judaizantibus excitatarum. Hujus urbis Ecclesia tristem imaginem rixarum et factionum nobis exhibet, et satis superque demonstrat, primos *Christianos* minime a magnis vitiis et pravis moribus immunes fuisse, quales solent depingi a recentioribus scriptoribus, qui, de perfecto illo statu primaevorum Christi sectatorum varia comminiscentes et somniantes, merito taedium et fastidium aequis rerum judicibus creant.

Ecclesia autem *Corinthiaca* luculentissimum nobis exhibet exemplum, quanta mala ex controversiâ inter *Judaeo-Christianos* et *Ethnico-Christianos* agitatâ, originem suam traxerint. Describit hunc coetum *Apostolus*, diversis sectis, quae singulae suis auctoribus, ut habebantur, superbiebant, dilaceratum (45). Scilicet fuerunt inter *Corinthiacos*,

(45) 1 *Cor.* I, 12. III, 4, 5. Illorum opinionem, qua Paulus hic non vera sectarum nomina scripsisse statuitur, et nomina Cephae aliorumque solummodo exempli gratia apposuisse, satis superque refutavit cl. Pott *ad priorem ad Corinth. Epist. Prol.* p. 19 sqq.

cos, qui a Cepha seu Petro, alii, qui a Paulo nomen sibi sumserant. Alii ab Apollo, alii a Christo nomen suum derivabant. Ceteris missis explicationibus, nobis hoc tenendum videtur, duas potissimum partes hic cerni; alteram nempe Petrinorum, quibus ex nonnullorum sententia *οἱ τοῦ Χριστοῦ* adjungi possunt, si intelligendi sint illi, qui auctoritatem Jacobi, fratris Christi, sequebantur (46). Sed, ut dicamus quod res est, nobis potius videntur illi *τοῦ Χριστοῦ* partem quandam neutram confecisse, qui ab omni sectarum studio se abstinere velle, dictitabant (47). Praeter factionem *Petrinam*, *Judaïsmo* magis deditam *Corinthi* fuit altera *Paulinorum*, quibus accessisse videntur *Apollonii*, fortasse solummodo doctrinae exponendae ratione a caeteris diversi (48). Hanc se-

(46) Ingeniosa sane est conjectura, nec mirum eam plurimis placuisse viris doctis, uti Storrio, Hugio (l. c. P. II. p. 360 sq.) aliis, quos recenset Pott l. c. p. 27 sqq., qui p. 25 — 27 alias etiam recensuit explicationes multo minus se commendantes. Haud alienum ab hac opinione se praestitit cl. v. d. Pelm in *nota ad* 1 *Cor.* I, 12.

(47) Ea sententia placuit Eichhornio et Pottio l. c. p. 31. Fortasse tacite hos Christi tantum se discipulos dicentes probavit ipse *Apostolos* 1 *Cor.* III, 22, 23.

(48) Apollos seu Apollonius *Alexandrinus Judaeus* ob doctrinae suae copiam, et eloquentiam laudatur *Actor.* XVIII, 24 sqq. (ubi de significatione vocis *λόγιος* omnino leg. Kuinoel. Exemplis ab eo allatis addi possunt loca Herodoti, Lib. V, 36 et 125 ubi Hecataeus *λογοποιὸς* dicitur). Si quidem ad urbem ejus patriam attendimus, doctrinaeque rationem huic urbi propriam, facile discrimen inter Apollonium et Paulum obtinere potuisse, censendum est. Hos viros tamen sibi invicem non repugnasse, neque *Apolloniorum* factionem nume-

sectam caussam tuitam esse *Ethnico-Christianorum*, quis in dubium vocabit?

Haec opinionum diversitas non tamen eam vim habuit, ut diversis in locis congregarentur (49); eo vero tetendit, ut rixae et altercationis pleni essent *Christianorum* conventus. Nullus ordo in sacrâ concione servabatur, quisque pro lubitu sermonem habebat, vel preces fundebat, vel hymnos canebat, obstrepentibus aliis et nemine audiente; mulieres adeo loquacitate suâ conturbationem et tumultum insigniter augebant (50). Sed videamus potius de utraque factione *Petrina* et *Paulina*, quomodo sese invicem tractare soleret.

Num **Petrus** ipse *Corinthi* affuerit nec ne, adhuc ambigitur (51). Sed quidquid hujus rei est,

merosam adeo fuisse, conjici licet ex 1 *Cor.* XVI, 12. ubi **Apollos** taedio affectus esse *Corinthiorum* satis perspicue depingitur. Cf. **Pott** l. c. p. 23, 24.

(49) Appares hoc ex 1 *Cor.* XI, 18. Nisi quis in inscriptione hujus Epistolae Cap. I, 2. illud ἐν παντὶ τόπῳ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν ad varias scholas seu loca congregationis referre velit. Forsitan *Petrini* Synagogam *Judaeorum* frequentare solebant. Prior tamen excitatus locus nimis videtur definitus, quam ut sectis singulis suos adjudicemus conventus. Vid. **Pott** ad 1 *Cor.* I, 2. p. 55.

(50) Lege vividissimam harum turbarum descriptionem a **Paulo** delineatam 1 *Cor.* XII—XIV. Foeminae videntur imprimis quaest'unculis suis concionem obtudisse ibid. XIV, 34, 35.

(51) **Petrum** *Corinthi* affuisse diserte affirmat **Dionysius** *Corinthiacus* Episcopus (A. C. 170), de quo cf. **Eusebius**, *Hist. Eccl.* Lib. IV. c. 23. in Epistola ad *Romanam* Ecclesiam scripta, cujus fragmentum exstat apud eundem Lib. II. c. 25. p. 54. ταῦτα (l. ταυτῇ uti videtur **Valesio**) καὶ ὑμεῖς (*Roma-*

est, pars illa coetus *Corinthiaci*, nomine ejus imprimis delectabatur, quippe quod pondus adeo et auctoritatem studio suo legis Mosaicae addere videretur. Aliunde (52), forte ex *Palaestina*, *Corinthum* venerant, homines illi Judaicâ stirpe prognati (53), qui, ut solemne iis erat, adversarios sese gesserant Pauli ejusque amicorum. Hujus *Apostoli* auctoritatem quantum fieri posset, imminuere conati sunt, neque Epistolâ suâ, quam ad *Corinthios* scripserat, ad silentium reduxit importunos illos adversarios. Non destiterunt a calumniis suis in eum spargendis; inconstantiam et variam mentem ei objicientes, et obscuritatem in docendi ejus ratione (54). Neque immerito Ju-

mani) διὰ τῆς τοσαύτης νουθεσίας, τὴν ἀπὸ Πέτρου καὶ Παύλου φυτείαν γενηθεῖσαν ῥωμαίων τε καὶ κορινθίων συνεκεράσατε· καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς, ὁμοίως ἐδίδαξαν. κ. τ. λ. Solet quidem haec traditio falsa haberi, uti sentit etiam Pott l. c. p. 20 sqq., et possunt quidem causae excogitari satis speciosae, unde haec narratio originem traxerit: sed nihil est in Dionysii verbis, quod fabulam oleat, neque historia aliquid suppeditat, unde probari posset, rem per se accidere non potuisse. Quod bene demonstravit Mynster in Disput. *über den ersten Aufenthalt des Apost.* Petrus *in Rom.*, inserta ipsius *Kleine Theol. Schrift.*, p. 153, 154. Denique si probari potest conjectura Michaëlis, *Einl.* T. II. p. 1022, *Corinthios* sectarum principes hos maxime sibi elegisse, qui baptizaverant ipsos, forte ex eo argumentum derivari posset, Petrum revera *Corinthum* visitasse. Cf. 1 *Cor.* I, 14—17.

(52) 2 *Cor.* XI, 4.

(53) Hos, quos Paulus 2 *Cor.* XI, 13. *ψευδαποστόλους, ἐργάτας δολίους* vocaverat infra vs. 22. dicit *Hebraeos*, *Israëlitas*, prosapiam Abrahami. Cf. Hug l. c. p. 161.

(54) 2 *Cor.* I, 15. II—IV, 1—7. XI, 7 sqq. XII, 15—17. Cf. Hug l. c. p. 370 sqq.

Judaizantium studiis attribuatur turpissimum illud flagitium, quo aliquis e coetu *Corinthiorum*, omnium incurrerat reprehensionem et indignationem, matrimonio ineundo cum noverca sua (55). Alia tamen indicia non exstant, Judaizantes doctrinâ suâ aut moribus offendisse reliquos; et videntur etiam numero *Christianis* e Gentilibus fuisse inferiores. Hi e contrario multa habebant, quae justae querelae materiem iis praeberent.

Hac autem opportunitate, non abs re erit monere, *Ethnico-Christianos* subinde quoque nimium dedisse odio, quo in *Judaeos* ferebantur; adeoque satis imprudenter sibi indulsisse quaedam, a quibus *Judaeo-Christiani* ex moribus suis summopere abhorrerent. Ex iis, quae contra tales homines in Epistolis ad *Corinthios* scripsit Paulus, apparet etiam, quam prudenter ab *Hierosolymitanis* decreto suo additae sint conditiones quaedam, quibus mutuae augendae concordiae gratiâ, adstringerentur Gentiles. Ut fit, modum servare in rebus non optime sciunt homines; liber-

(55) 1 *Cor.* V, 1 sqq. 2 *Cor.* II, 6—11. Hoc flagitium vix aliter potest explicari, quam ex opinione *Judaeorum*, qua hic, qui proselytorum in numerum receptus fuerit, novus plane homo habebatur, unde pristina sanguinis necessitudo talis viri non amplius exstare dicebatur. Hanc opinionem Christianae disciplinae professioni applicare potuerunt. Vidd. Michaëlis l. c. p. 1025—1027. (qui p. 1023 sq. ex 2 *Cor.* V, 16, 17. X, 6, 8. conjicere voluit hunc hominem consanguineum Jesu fuisse). Hug l. c. p. 364. et cl. v. d. Palm in *Annot.* ad 1 *Cor.* V, 1. Loca exterorum, unde elucet, apud exteros tale connubium illicitum fuisse, excitavit Pott ad eundem locum p. 196 sq.

bertas saepius in licentiam et protervitatem mutatur. Quid mirum, *Christianos* e Gentilibus, ridentes conscientiae scrupulos, quibus se vexare solebant Judaizantes, genio suo indulsisse ansamque dedisse accusationibus minime fundamento carentibus, quibus ab aliter sentientibus peterentur? *Christiani* nonnulli, qui antea *Judaei* fuerant, inconsiderato in Judaica instituta odio ducti, eo processerant, ut circumcisionis ritum arte quadam celare conarentur (56). Alii epulis sacrificalibus adesse haud sunt veriti, neque erubuerunt promiscue omnibus cibis vesci; non attendentes, num victimis destinati fuissent (57). Hoc modo graviter offendebant *Judaeo-Christianos*. Hosce homines increpavit Pau l u s, non hanc ob causam, quod malum quid per se perpetrarent, sed quod hac imprudentia fratribus suis offensionis materiam praeberent. Elucet ex hisce admonitionibus, tum summa prudentia Pauli, tum mentis ejus sublimitas et magnitudo, in rebus ἀδιαφόροις minime subsistentis, iisve pretium quoddam proprium adscribentis. Pauli dicta optimum exhibent commentarium in praecepta Decreto Apostolico comprehensa, ad normam doctrinae purissimae et Christiano homine omnino dignae exactum (58). Ex Pauli mente, *Christiano* homini nihil ca-

(56) 1 *Cor.* VII, 18. Hoc artificium jam antiquum fuisse apud *Judaeos* ἀποστάντας, docet locus 1 *Maccab.* I, 15. Leg. Pott ad locum Paulinum citat.

(57) 1 *Cor.* X, 20—33. VIII tot. coll. *Rom.* XIV, 20—23.

(58) Cf. Nitsch l. sup. c. p. 404 sqq.

carius, nihil antiquius esse debebat, quam amoris et concordiae inter omnes augmentum. Siquidem controversia agebatur circa causas, summam rei non attingentes, eam non urgeri voluit, sed opinionibus eorum, qui infirmiores essent, quaedam esse cedenda. *Apostolum* tamen nullo modo probare voluisse accommodationem servilem erroribus aliorum circa momentosiores versantibus doctrinas, ipse suo exemplo luculentissime ostendit. Hoc consilio ductus praeceptum etiam dedit de foeminis velandis in conventu sacro; contrarium enim offendere debebat *Judaeo-Christianos*, quibus in more fuerat, ut operto et velato capite mulieres in Synagogam admitterent (59). Num etiam studium coelibatus, quem nonnulli *Corinthiorum* nimio extollebant honore, ex odio *Judaismi* ortum sit, admodum dubium nobis videtur, et cogitari possunt multae caussae, ex quibus hic error jam mature in *Christianorum* animos introductus esse videtur (60). Neque satis tutum et certum videtur ex eo, quod Paulus datâ operâ corporis resurrectionem post mortem demonstret, efficere, *Sadducaeorum* opiniones *Corinthi* fautores nactas esse (61). Hoc tamen constat, in Ecclesia *Corin-*

(59) 1 *Cor.* XI, 5, 6 et 10, quem versum explicatum legas apud cl. van Heugel in *Annot.* supr. excit. p. 175—183.

(60) 1 *Cor.* VII, 1 sqq. De opinionibus primorum *Christianorum* circa coelibatum legi potest quod scripsit Doct. J. Boreius in Dissert. *de primor. homin. Christian. vitâ privatâ*, p. 54 sqq. et imprimis Neander l. c. P. II. p. 471—488.

(61) Michaëlis l. c. p. 1035. 1 *Cor.* XV. errores *Sadducaeismi* e Paulo refelli existimat; hoc duntaxat affirmari potest, men-

rinthiaca omnino conspicuum fuisse, quanta mala lis illa et bellum inter utramque partem *Christianorum* societati attulerit: cum, ut solet esse, et hic intrà et extrà peccetur, et hoc modo germanae Christi doctrinae florem suum et splendorem plus minusve detrahant ipsi *Christiani* (62).

§. 25. *De coetibus Asiae Minoris, ad quas Paulus in Epistolis respexit.*

Vidimus, opiniones *Judaeo-Christianorum*, quibus Paulus in Epistolis suis se opposuit, eo omnes spectavisse, ut legis Mosaicae observatio omnibus omnino Christi sectatoribus imponeretur. Unus idemque fuit eorum habitus, et ut ita dicam character *Pharisaismo* plenus. Jam nunc eo pervenimus, ut alia harum opinionum ratio nobis obversetur. Ejusmodi generis sunt errores, quos, in Epistolis suis ad *Ephesios*, *Colossenses* et ad *Timotheum* datis, oppugnat *Apostolus*. Quales hi fuerint errores, difficilius est dictu ob penuriam monumentorum istius temporis, ita ut in loco satis obscuro versemur, quem variae sententiae etiam obscuriorem reddiderunt, et verum non nisi conjecturà assequi possimus. Ut ordine rem agamus, primum quaedam monebi-

mentionem Cephae et Jacobi ibid. vs. 5 et 7. non absque ratione a Paulo fieri, respectu habito lectorum suae Epistolae.

(62) Ecclesiam *Corinthiacam* diu tumultu agitatam esse, liquet ex Clementis *Romani* ad hunc coetum scripta Epist. c. 1, 2, 44—48. p. 144 sq. 171—174. Cotel.

bimus de coetibus *Asiae Minoris*, quae hic in censum veniant; dein opiniones falsas, quibus se opposuit Paulus, contemplabimur; quarum fontem et originem tertio loco indagare conabimur.

Secundo suo itinere, et maxime tertiâ suâ peragratione, Paulus diu commoratus est *Ephesi* (63), quae fuit urbs *Asiae Minoris* istis temporibus florentissima multisque frequentata peregrinis, mercaturae et religionis causâ illuc confluentibus (64). Primum pro more suo in *Judaeorum* Synagogam se contulerat; tribus vero mensibus elapsis, hujus gentis contradictionum et obstinatae mentis pertaesus, cum Christi sectatoribus ab iis secessit, et sedem fixit in scholâ cujusdam Tyranni, ut videtur, Graeci doctoris (65). Hic doctrinam suam exponens tot nactus est fautores, ut fama *Apostoli* ejusque factorum ad circumjacentes pervolaret regiones. Tandem populari tumultu exorto, *Ephesum* reliquit (66). Quamvis successu satis prospero hic usus

(63) *Actor.* XVIII, 19 — 21. XIX, 1 sqq. Acciderunt haec intra annum 53 et 56 a C. N. Vid. Basnage *Annal.* p. 658 sqq.

(64) Strabo, L. XIV. c. 1. p. 177. *Ephesum* emporium vocat omnium maximum, quae in *Asia* intra *Taurum* reperiuntur. Ad celebritatem et florem hujus urbis augendam, quam maxime inserviebat templum illud nobilissimum Dianae sacrum. Quantum prodesset sacer quidam locus, quo religionis causa confluere solebant populi, ad incrementum mercaturae, antiquarum imprimis nationum docuit historia. Cf. Michaëlis, *Mos. Recht*, T. I. p. 195.

(65) *Actor.* XIX, 9, 10.

(65) *Actor.* XIX, 23 sqq.

usus fuerat Paulus, metum a se amovere non potuit, ne post abitum ejus in Ecclesiam surreperent falsi doctores, qui externo habitu internam mentiti pravitatem, verae Christi doctrinae exitium afferrent (67). Quod mentis suae infaustum praesagium cum presbyteris *Ephesinis* communicavit, ultimum tristeque vale, iis dicens.

Cum coetu *Ephesino* aliae duae ecclesiae *Asiae Minoris* conjungi debent, situ et indole sua necessitudine quadam ei affines, ubi num ipse affuerit Paulus pro certo affirmari nequit; coetus *Colossensis* scilicet et *Laodicenus*. Ad hos *Apostolus* Epistolas scripsit, quarum unam *Colossensibus* inscriptam adhuc legimus (68). Haec Epistola magnam habet similitudinem cum alio scripto Pauli, quod nomen *Ephesiorum* in fronte gerit. Num recte, aliis dijudicandum relinquimus. Quidquid statuitur, coetum *Ephesinum* spectari etiam in hac Epistola, satis tuto sumere possumus (6[illegible]).

Quod

(67) *Actor.* XX, 29—31. Neque causa excogitari potest, cur Paulus tanta vi admonuerit Presbyteros *Ephesinos*, nisi jam tunc temporis vestigia ibi deprehenderit quorumdam errorum, verae doctrinae contrariorum.

(68) De urbe *Colossarum* et de tempore, quo ad hujus urbis Ecclesiam scripsit Paulus. vid. Hug l. c. p. 409, 410.

(69) Scilicet si sententiam sequimur horum virorum doctorum, qui putant hanc Epistolam Encyclicam esse, inter Ecclesias, quibus destinata fuerat, certissime *Ephesinam* referri posse, nemo dubitabit. Undenam autem vulgaris orta fuisset inscriptio? Fuisse literas encyclicas admodum probabile nobis videtur; argumenta hic repetere nolumus, quae post alios exposuerunt Hug l. c. p. 402—408 et Koppe in *Prol.* ad *interpr. Epist.*

quos auctor harum Epistolarum respexit, unde aliquis non sine ratione statuit, conditionem coetuum *Asiae Minoris*, quod ad doctrinae Christianae depravationem attinet, unam fere eandemque fuisse. Sed quid hoc ad nostri argumenti tractationem jam faciat, quaeret forsitan aliquis. Nimirum, ut conjecturae nostrae auctoritatem nanciscamur, illud, quod ex Epistolis Paulinis ad *Ephesios*, *Colossenses*, et Timotheum de opinio-

in Epist. ad Timotheum etc. vix enim definiri potest in illis quid poëticus color, quid rei ipsius expositio sit dicenda. Sed hoc tenemus, vitia, quibus illae Ecclesiae laborâsse dicuntur, ejusdem fuisse generis. Cff. interea loca *Apocal.* II, 2, 6, 14. 15, 20. III, 4, 9. Fortasse hoc loco aliquis nos de secta *Nicolaitarum* dicturos esse, existimat. Sed quid de iis statuendum sit, nescire nos ingenue fatemur. Qui hujus rei, variis tenebris obsitae, expositionem doctam variarumque sententiarum enarrationem legere cupit, adeat Buddeum l. c. p. 365—407. qui sectam quandam hujus nominis revera exstitisse putat; hujus opinionis antecessorem habuit Moshemium in *Biblioth. Bremensi*, class. I. fasc. 4. p. 382 sqq. Contrariam sententiam, quâ Ecclesiae *Patres* omnia, quae de *Nicolaitis* tradiderunt, ex male intellecto loco *Apocalypseos* derivâsse dicuntur, commendatam lege ab Eichhornio in *Comment. in Apocal.* Vol. I. p. 75—81. Mediam quasi viam ingreditur Neander l. c. P. II. p. 774 sqq. In legendis hisce scriptis, ubi de derivatione nominis a Nicolao *Diacono* agitur, conjectura nobis in mentem venit, hujus denominationis causam quaerendam esse in odio quorumdam *Judaeo-Christianorum*, qui, nomine audito *Nicolaitarum*, atro carbone notatorum, Nicolaum illum *Diaconum Proselytum Antiochenum* arripuerint, ut haeresiarchae munus sustineret. Nomen enim *Antiochiae*, ubi primum *Ethnico-Christiani* Judaizantium conamini obstiterint, satis invidiosum esse debuit ipsis. Hoc deinde alii exornarunt, ita ut fabula inde nasceretur, qualis exstat apud Clement. Alex. Strom. Lib. III. p. 522. et Euseb. *Hist. Eccl.* L. III. c. 29.

nionibus falsis repetemus, in universum referri posse ad varias Ecclesias *Asiae Minoris*, quae in *Ionia*, *Lydia*, et *Phrygia* reperiuntur.

§. 26. *De opinionibus per Asiam Minorem dissipatis, quas* Paulus *improbavit.*

Videamus jam, quaenam sint opiniones, contra quas se opposuit Paulus, in scriptis supra memoratis. In Epistolâ, quae ad *Ephesios* inscribitur, magna sermonis vi et elegantiâ lectoribus suis Paulus demonstravit, quomodo Christus ejusque disciplina parietem quasi et sepimentum, quo gentes a gentibus antea intercludebantur, disjecerit, et pacem et concordiam inter omnes instauraverit. Legis Mosaicae observatio necessario efficere debuit, ut Judaica gens a ceteris separaretur gentibus. Hac obsoleta, nihil erat, quod gentiles etiam a bonis, *Messiae* regno propriis, percipiendis retineret. Ad eundem gradum per Christum elatae sunt gentes; civium Dei et familiarum nomine insigniri debent, quo honore ante Christi tempora tantummodo gaudebant *Judaei* (73). Ex hoc Pauli ratiocinio luculentissime apparet, *Ephesi* vel aliis in coetibus affuisse *Judaeo-Christianos* nimis abjecte sentientes de juribus Gentilium, jam ad Christi castra perductorum.

Colossenses autem monet Paulus, ne fucum fieri sibi paterentur ab inanibus philosophiae cujus-

(73) *Ephes*, II, 8—22.

jusdam sic dictae placitis, quae traditionibus humanis et primis rudimentis innitebantur. Per rudimenta illa (στοιχεῖα τοῦ κόσμου) intelligi videtur observatio rituum Mosaicorum (74). Proxime saltem sequens oratio Pauli satis docet, eum respexisse nimium illud studium, quo Judaizantes *Christianos* legi Mosaicae obstringere voluerunt, et observationem iis inculcare praeceptorum, circa cibos et festa solemnia *Judaeorum* versantium (75). Sequitur mox admonitio, ne aliquis ipsos circumveniret et deciperet ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, quibus verbis obscurioribus innuere videtur *Apostolus*, cultum quemdam Angelis concessum, neglectâ religione, quam verus *Christianus* Deo soli et Servatori debebat.

Ad dilectum suum scribens Timotheum, subinde Paulus mentionem fecit doctorum quorumdam falsorum, qui *Ephesinam* Ecclesiam, cujus cura Timotheo demandata fuerat, turbare et infestare jam coeperant. Describuntur illi, fabulis et genealogiis infinitis se delectantes, inanibus verborum certaminibus ansam dantes, nomen et auctoritatem legum peritorum sibi arrogantes, cum tamen ipsi nescirent, quid dicerent, quid affirmarent (76). Porro *Apostolus* fatetur discipulo suo in-

(74) *Coloss.* II, 8. coll. *Gal.* IV, 3 et 9. Ex his, quae Paulus scripsit *Coloss.* II, 11—14. contra Judaizantes eum pugnare, liquet;

(75) *Coloss.* II, 11, 21, 22.

(76) 1 *Timoth.* I, 3—7. coll. *Tit.* III, 9. unde efficimus, etiam in insulam *Cretam* ejusmodi errores se dissipâsse. Quid in-

instare tempus, quo orirentur doctores quidam, perditissimis moribus, sed externa honestatis specie pravitatem suam occultantes, qui religionis magnam partem ponerent in abstinentiâ a quibusdam cibis, coelibatum praedicantes, et summis laudibus corporis continentiam (γυμνασίαν σωματικὴν) extollentes (77). Monet igitur Timotheum, ut evitet profanas illas et vanas disputationes et altercationes τῆς ψευδωνύμου γνώσεως (78). Ejusmodi doctores in alterâ suâ ad Timotheum Epistolâ atro notat carbone, eorumque imaginem, ut hominum variis sceleribus obrutorum, delineat (79). Mentionem etiam facit Hymenaei cujusdam et Phileti, qui resurrectionem mortuorum jam locum obtinuisse nugati fuerant, explicatione forte quadam allegoricâ hujus dogmatis adhibitâ (80).

§. 27. *De peculiari genere Judaeo-Christianismi, Ecclesias Asiae Minoris infestante.*

Haec maxime sunt, quae ex hisce Pauli Epistolis de erroribus Ecclesias *Asiae Minoris* infestantibus haurire potuimus. Sed nunc oritur quae-

intelligi debeat per γενεαλογίαις ἀπεράντοις difficilius dictu est. Legg. quae monuit Heinrichs in nota ad 1 *Tim.* I, 4. et Buddeus l. c. p. 582—591.

(77) 1 *Tim.* IV, 1—3, 7 et 8.

(78) 1 *Tim.* VI, 20, 21.

(79) 2 *Tim.* fII, 1—9. coll. *Tit.* I, 10 sqq.

(80) 1 *Tim.* II, 17, 18. coll. 1 *Tim.* I, 20. Vid. Buddeus l. c. p. 298 sqq. ubi copiose de duobus illis haereticis agit.

quaestio difficillima, quo nomine hae opiniones insigniendae sint. Huic quaestioni tertio loco qualemcunque responsionem dare conabimur. Hoc in antecessum monemus, non adeo certum esse et indubitatum, omnia illa, quae mox congessimus, ad eosdem pertinere homines. Ut solet accidere tempore quodam, cum novae quaedam opiniones fautores nanciscantur, nihil mirum, has opiniones novis aliis invicem ortum dedisse, quae magis aut minus inter se discrepantes eodem in loco reperiantur. Hinc sequitur, temeritatis culpa absolvi non posse, qui uno nomine omnes has opiniones comprehendere conetur, ita ur, quae minus ei convenire videntur, interpretatione quadam huic doctrinarum corpori adaptet.

Re bene perpensâ, hoc primum tenemus, in hisce locis Paulinis sermonem esse de *Judaizantibus* quibusdam doctoribus. Ejusmodi homines certe in mente habuit *Apostolus* in Epistolâ ad *Ephesios*, dicens de dignitate aequali, qua *Ethnico-Christiani* censendi essent. Huc referri etiam debent, quae ad *Colossenses* scribit de iis, qui traditionibus innixi praeceptorum cibariorum et festalium observationem *Christianis* imponere vellent (81). Haec omnia *Pharisaeismum*, uti eum in praecedentibus contemplati sumus, satis superque probant. Deinde tamen alia addit, quae minus hujus sectae indoli convenire videntur, exempli gratia, quae de θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων monet, quibus *Essenorum* vestigia inesse non sine ratione quis

(81) *Ephes.* II, 8—22. *Coloss.* II, 8, 11.

quis suspicaretur (82). Quae de illis doctoribus in *priore* ad Timotheum habet Epistolâ, coelibatum extollentibus et corporis exercitationem et abstinentiam praedicantibus, egregie cum hujus sectae placitis conveniunt (83). Nil mirum itaque, omnia, quae hisce locis Paulus dixit, nonnullos, contra *Essenos* dicta esse, existimâsse (84). Sed ne calculum huic sententiae adjiciamus, maxime effecit observatio, studium illud, quo doctrinam suam propagarent, eique in urbibus majoribus fautores acquirerent, minime quadrare in homines illos, qui vitam solitariam agere solebant, et quam maxime a commercio aliorum

(82) *Coloss.* II, 18. Solebant enim *Esseni* novitios suos jurejurando adstringere, ut servarent nomina Angelorum. Vid. Josephus *de Bello Jud.* L. II. c. 12. p. 786. G. Neque improbabilis est conjectura, eos religione quadam prosecutos esse Angelos, quos *μεσίτας* inter hominem et Deum summum habuerint. Ceterum de placitis hujus sectae legg. Prideaux l. c. T. II. p. 498 sqq. ubi loca classica de *Essenis* agentia Josephi et Philonis, descripta sunt et explicata. Clericus, *Hist. Eccl.* p. 16—29. Neander l. c. P. I. p. 57 sqq.

(83) Praeterea severa illa observatio Institutorum Mosaicorum et Sabbathi imprimis, satis convenit sectae *Essenorum*. Vid. Josephus l. c. p. 787 B, C.

(84) Hoc multis probare studuit Michaëlis l. c. p. 1050—1055, qui p. 1056. causam quaerit in Apollô doctore *Alexandrino*, cur *Essenismi* fautores in Ecclesiam admissi essent. Quod tamen jure rejecit Heinrichs in *Prol. ad I Epist. ad Timoth.* p. 12 in nota. Hic tamen in universum probat suo suffragio Michaëlis sententiam, cautione addita „*Paulum* „*invectum esse in tales homines, qui externam Essenicae vi*„*tae sanctimoniam mentiti, revera teterrimi erant et flagi*„*tiosissimi homines.*"

rum se abstinebant. Neque historia satis firmis probat argumentis, hoc hominum genus per *Asiam Minorem* ita propagatum fuisse, ut magnum detrimentum ab iis exspectandum esset (85).

Aliam viam itaque alii ingressi sunt, et attendentes ad mentionem *τῆς ψευδωνύμου γνώσεως* (86) a Paulo factam, de sectis illis *Gnosticorum* cogitarunt, quae maxime seculo secundo Ecclesiam Christianam commoverunt. Si quis existimet, quasdam sectas, quales deinde apparuerunt, *Apostolorum* jam aevo Christianam doctrinam depravâsse, facile quis ei contradicet. At vero si quis praefracte neget, pristino illo seculo vestigia hujus *Gnosticismi* exstitisse, veremur, ne quid cupide magis quam vere asserere conetur. Etenim cum *Gnostici* doctores sua placita non adeo excogitaverint, quam quidem ex philosophiâ quadam,

(85) Plura argumenta contra Michaëlis sententiam dabit Auctor libri *Ontwerp der Godsdienstgevoelens* etc. supra citati T. I. p. 476—479.

(86) 1 *Tim.* VI, 20. Hinc omnia, quae contra falsos doctores disputat Paulus, *Gnosticos* spectare nonnulli putarunt: uti Hammondus, qui ubique fere vestigia horum doctrinae exsculpsit. Ex hac interpretatione *γενεαλογίαι*, de quibus agit Paulus 1 *Tim.* I, 4. de *Gnosticorum Aeonibus* explicari solet. Sed ut fieri solet, nimii saepe fuere viri docti, in quaerendis et explicandis similitudinibus, quae inter *Gnosticos* recentiores, et illos, quos Paulus increpat, exstiterint. Locus tamen Paulinus ubi *ψευδωνύμου γνώσεως* mentio exstat, ejusmodi est, ut nulli dubitemus accedere celeberrimo Palmio ad h. l. scribenti, „Ex hoc loco apparere, jam tum affluisse semina *Gnosticismi*, quidquid contradixerint alii, dicendo ea obtegere conantes: et hos, qui errores ejusmodi fovebant, nomen sibi arrogâsse *τῆς γνώσεως* per excellentiam sic dictae."

dam (87), cujus praecipua jam aderant capita, concinnaverint, nescimus, cur non hujus philosophandi ratio patronos invenire potuerit jam aevo *Apostolorum*. Joannem autem *Apostolum* subinde in scriptis suis respexisse opiniones, quales deinde in systematis quasi formam redegerint *Gnostici*, nondum negare auderemus (88) Quidni et Paulus tales doctores ob oculos habuerit? Sed ne diutius in hac quaestione variis disputationibus nobilitatâ, moremur, nostram sententiam, quatenus ad argumentum nostrum faciat, peritiorum judicum disquisitioni subjiciemus (89). Vi-

(87) *Gnosticae* doctrinae, uti cuique in oculos incurrit, cum opinionibus jam antiquitus per *Asiam superiorem* disseminatis, magnam habuerunt similitudinem: neque casui aut fortunae coecae adscribenda convenientia, quam reperimus inter veterum *Persarum* doctrinam religionis, et Dualismum vario modo expressum a *Gnosticis*, clarissimam vero in lucem protractum a *Manichaeismo*. Neque tamen vestigia difficile eruuntur, unde necessitudo appareat, qua juncti etiam sunt *Gnosticismus*, *Platonicismus*, et *Judaismus* quidam, *Alexandriae* et in *Asiae* parte quadam obvius. Cf. Neandar l. c. P. II. p. 632 sqq.

(88) Multum dictum est et pugnatum de consilio, quo Joannes scripserit; qua de re legatur Kuinoelius in *Prol. in Evang. Joan.* p. 43 — 60. ubi varia hoc de argumento scripta recensentur, et sententiarum instituitur examen. Nobis autem quam maxime placuit cl. Palmii sententia, qua statuitur Joannes omnino respexisse varios errores suo tempore obvios *Gnosticismo*, *Docetismo* aliisque simillimos, iisque se opposuisse. Hac ratione egregie variae sententiae, saepius nimio studio defensae vel oppugnatae, in concordiam redigi possunt. Vid. quod monuit vir summus in *Praefatione interpretationi Evang. Joan. praemissâ*, passimque in *annotat.* ad Cap. I.

(89) Postquam hanc meam sententiam jam literis mandaveram, legere mihi contigit *Commentationem* eruditissimam ab Herm.

Videtur in *Asiâ Minori* orta esse quaedam secta Judaizantium, (de nomine, quo insigniatur, pugnare nolumus), quae cum studio legis et religionis Mosaicae, philosophiae quamdam rationem jungebat, intricatis disquisitionibus imprimis absolutam (90). Quae artibus quibusdam magicis operam dabat, et mysticismi cujusdam colorem et speciem contraxerat. Ejusmodi homines affuisse *Ephesi*, ex stirpe Judaicâ prognatos, qui magicis artibus se tradiderant, ipse enarrat Lucas (91), qui addit, Christianae doctrinae efficaciâ factum esse, ut nonnulli vanorum pertaesi artificiorum, libros, qui de magiâ agebant, collegerint et igni tradiderint. Exinde jure conficimus, *Ephesinos* satis fuisse proclives, ad tractandas has disciplinas inanes, quae splendido laborum colore imprudentibus fucum facerent, et merito Paulum

Herm. Agathone Niemeyer (Augusti Hermanni filio) conscriptam de *Docetis Halae* 1823. ubi eandem propositam vidi opinionem et probatam, de duplici Judaizantium genere, quorum errores impugnet Paulus in Epist. ad *Coloss*. *Ephes*. et *Timoth*. p. 22—28. quae omnino legantur.

(90) Nemini mirum accidat, necessitudinem intercessisse inter *Gnosticismum* et *Judaismum*, primo obtutu, toto coelo sibi oppositos. Scilicet, si modo attendat ad rationem doctrinae, quae apud *Judaeos Alexandrinos* obtinuit, qualem cognoscere licet ex scriptis Philonis, facile demonstrari potest, *Gnosticismi* vestigia et hic jam reperiri minime obscura. Vidd. Neander, *Genetische Entwicklung der Gnostischen Systeme*, p. 3—27. et H. A. Niemeyer, p. 15—20.

(91) *Actor*. XIX, 13 sqq. *Ephesini* artes Magicas imprimis amabant. Cfr. Philostratus *in vita* Apollon. Tyan. L. IV. c. 5. et Plutarch. *Symp. quaest*. L. VII. quaest. 5. quem locum descripsit Hog l. c. p. 429.

lum monuisse discipulum suum, ut hisce erroribus obicem poneret. Mystica illa philosophia, *Judaeorum* scriptis adhibita, miras inde interpretationes protrahere debuit; vera cum fabulis anilibus commiscens et somniis ingenii humani se tradens, immersit se obscuris ambagibus verborum, unde extricari tandem se ipsa non potuerit (92). Haec ipsa philosophia indole suâ et naturâ ansam dedit corporis humani contemtui et rerum externarum sensus afficientium fugae. Unde continentia quaedam (ἄσκησιν vocant) nimiis extolli solebat laudibus. Quae omnia quam nociva fuerint germanae Christi doctrinae, quisque, nobis tacentibus, videbit (93).

§. 28. *De Judaeo-Christianismo Romae dissipato.*

Jam tempus est, ut cursui nostro per singulas terras ubi antiquissimae fuerunt Ecclesiae, turbis et litibus Judaizantium exagitatae, finem imponamus. Nihil nobis restat, quam ut oculos conjiciamus in plagam Occidentalem, ubi *Romana* Ec-

(92) Quam absurda commenta de literis et verbis sacrae scripturae somniati sint *Cabbalistae*, non uno nomine cum Gnosticis componendi, vid. apud Basnage, *Histoire des Juifs*, Vol. III. p. 311—338. Ulterius comparandi Paulina dicta in hisce Epistolis cum magna illa philosophia, quae eo tempore multos nacta est fautores, otium nobis fecit Huglus, qui multis hoc demonstravit, et totius hujus doctrinae rationem explicuit, testimoniorum auctoritate adductâ, l. c. p. 421—432.

(93) Cf. Reinhard, *System. der Christ. Moral*, T. IV. p. 389 sqq. Edit. 5. *Stuttg.*

Ecclesia eadem nobis suppeditabit vestigia *Judaismi* cum *Ethnico-Christianis* litigantis. Inspiciamus hoc consilio Epistolam Pauli nobilissimam ad hunc datam coetum, et hoc cum fecimus, redibimus ad Ecclesiam *Hierosolymitanam* unde orationis curriculum identidem nos abduxit.

In urbem *Romam* notitia doctrinae Christianae per *Judaeos* primum pervenisse videtur, qui popularibus suis nonnullis persuaserunt, ut in numerum Christi sectatorum se conferrent. *Judaei*, qui magno satis numero *Romam* habitabant, inter liberos hujus urbis cives fautores nacti fuerant; imprimis mulieribus horum sacra placebant (94). Sponte suâ sic Christi disciplina e Gentilibus fautores acquisivit. Sed, ut plerumque primis factum est temporibus, *Judaei* et *Christiani* eodem numero habebantur. Unde accidit, cum Imperator Claudius, frequentibus *Judaeorum* tumultibus permotus, hos ex urbe migrare jussisset, ut Christi sectatores Judaicâ stirpe prognati ejusdem calamitatis fierent participes (95). *Ethnico-Christiani*, qui immunes fuerant

(94) Vid. Juvenal. Sat. XIV. vs. 96 sqq. Ovid. *Art. Am.* L. I. vs. 76, 418. Joseph. *Antiq.* Lib. XVIII. c. 5. narrat historiam matronae *Romanae* nobilis a *Judaeo* quodam misere deceptae. Veterator ille, studium legis mentitus, ad Judaicam religionem eam perduxerat, et societate facta cum tribus aliis ejusdem farinae hominibus, ei persuaserat, ut pretiosa dona ad templum *Hierosolymitanum* mittenda ipsis daret: haec vero omnia in usum suum retinuerunt. Re tamen devulgatâ, omnes *Judaei* a Tiberio *Româ* pelluntur.

(95) Patet hoc exemplo Aquilae *Act.* XVIII, 2. qui jam Chri-

rant Imperatoris edicti, partim observatione verae suae religionis indolis permoti, partim odio ducti, quo erga *Judaeos* ferebantur, gentem superbientem suis privilegiis, inque turbas et tumultus proniorem, magis magisque se a fratribus separare coeperant. Deinde, postquam Romam redire contigerat *Judaeis*, eo pervenit utriusque partis, quae Ecclesiam *Romanam* efficiebat, mentis aversio, ut Paulus, antequam ipse *Romam* adiret (96), necesse duceret, hac de re Epistolam scribere, qua ad mutuam concordiam *Christianos* incitaret.

Idem status fuit hujus coetus, quem vidimus adfuisse in aliis Ecclesiis, maxime vero in coetu *Galatarum* (97). Judaizantes opiniones sibi peculiares de observatione legis deque juribus suae gen-

Christi disciplinam amplexus esse videtur, antequam *Corinthum* veniret. Cf. Hug l. c. p. 392. Claudii edictum, quo *Judaei* tumultuantes *Romá* pelluntur, memorat Suetonius etiam in *Claud.* c. 25. loco celebratissimo. Quo anno hoc factum sit, non addit, neque satis accurate definiri potest. Vidd. variae sententiae apud Basnage *Annall.* p. 649. Si quidem sumatur eodem anno accidisse, quo, referente Tacito *Annall.* L. XII. c. 52. mathematicos ex *Italia* migrare jussit Claudius, habebimus hujus imperii annum 12. Neque multum huic sententiae refragabimur, si eventuum seriem in *Actorum* libro consideremus. Annus aerae vulgaris redibit 52 vel 53.

(96) Iter *Romam* facere apud animum constituerat Paulus. Vid. *Actor.* XIX, 21. et *Rom.* XV, 23—28. Ex quorum locorum comparatione, satis certo tempus Epistolae scriptae definiri potest. Scilicet anno *Neroniani* regni 5°, C. N. 60, cum Paulus adhuc *Corinthi* versaretur. Plura dabit Hug l. c. p. 395 sqq.

(97) Vid. supra dicta §. 6, 21, 22.

genti propriis, propagare contenderant. Sed etiam fuerunt, quales jam deprehendimus in *Corinthiorum* societate (98), inter *Ethnico-Christianos*, qui inconsiderate offensionis materiem fratribus suis praeberent, et invidiosius sentirent de *Judaeis*, quos a Deo plane rejectos esse statuebant.

Necessarium igitur fuit, ut Paulus utramque partem meliora doceret, et averteret ab opinionibus suis hic illic nimio studio defensis. Demonstrat autem Paulus, nullum discrimen coram Deo adesse inter Gentes et *Judaeos*, hos aeque atque illos praemiis aut poenis dignos censeri secundum vitae suae rationem (99). Circumcisionem, quâ adeo superbiebant *Judaei*, nihil prorsus esse, nisi accedat morum emendatio, hanc si Gentes prosequantur, meliores omnino esse *Judaeis* inani ritui innitentibus nihil ipsis profecturo nisi virtutis fiant studiosi (100). Deinde exemplo Abrahami contra Judaizantes eâdem ratione utitur, atque in Epistolâ ad *Galatas*, et doctrinam suam, tantummodo homines salutis fieri posse participes per fidem Christo habitam, Mosaicae legis observatione exclusâ, multis verbis adornat et commendat; orationis impetu abreptus, et rei ipsius dignitate et sublimitate divinâ adeo permotus, vir eximius neque cuidam mortalium aequiparandus, excurrit in descriptionem bonorum, quae per Chri-

(98) Vid. supra §. 24.
(99) *Rom.* II, 9 sqq.
(100) *Rom.* II, 25—29. III, 1 sqq.

Christum humano generi concessit favor divinus (101). Hic exsultat ipsius oratio, fervet et ardet, et eloquentiae minime vulgaris sibi erexit monumentum. Jam hinc rediens luget sortem popularium suorum miserrimam, et desiderium suum ardentissimum, ut ipsi ad saniorem redeant mentem, profitetur (102). Sed acquiescit in Dei voluntate, summo amore et benevolentiâ omnibus salutis opportunitatem offerentis (103). Monet deinde *Ethnico-Christianos*, ne nimium abjecte de Judaeo populo sentiant, necessitudinem, qua hi cum illis junguntur, illustrat comparatione oleastri olivae insiti, et spem denique se fovere ostendit, fore, ut olim *Judaeorum* miserrima conditio, in meliorem et laetiorem convertatur (104). In posteriori Epistolae parte hortatur *Romanos*, ne unus alterum damnaret et negotia facesseret, si in rebus minoris momenti dissentiret. Mutui amoris et concordiae augmentum multum praestare dicit observationi rerum *ἀδιαφόρων*, in quibus hic vel ille, ob opinionum suarum mediocritatem aliquid poneret pretii (105).

Haec

(101) *Rom.* IV — VIII.

(102) *Rom.* IX, 1 — 3. X, 1. De indole Pauli egregia ejusmodi in locis expressa leg. Niemeyer, *Charakterkunde*, T. V. p. 368 sqq.

(103) *Rom.* IX, 6 sqq.

(104) *Rom.* XI.

(105) *Rom.* XIV, 1 sqq. De modo prudentiâ et sapientiâ pleno, quo hic utitur Paulus, egregie egit Chrysostomus, *Homil.* 25. in *Ep. ad Rom.* *διδάσκει τοίνυν ὁ μακάριος Παῦλος μὴ μικρὸν κατορθῶσαι βουλόμενοι τὸ πᾶν ἀνατρέψωσι, καὶ θέλοντες εἰς τὴν τῶν βρωμάτων αὐτοὺς ἀδιαφορίαν ἀγαγεῖν, καὶ τῆς πίστεως αὐτοὺς* [illegible] *σα-*

Haec sunt argumenta, quae Epistola circa *Judaismi* propugnatores continet, neque ejusmodi sunt, ut diutius in iis exponendis versemur. Eodem enim fere redeunt, atque illa, quae Paulum in aliis suis scriptis tractaverat. Argumento nobis sunt, unde colligere possimus, quam late propagata fuerint semina *Judaismi*. Quantum scimus, primis temporibus nulla fuit Ecclesia sive in *Asiâ* sive in *Europâ*, quam non saltem pro parte infaustum illud studium legis Judaicae turbavit et infecit. Paulus, ubicunque veniret, luctam sibi et certamen videbat praeparatum cum *Judaizantibus* neque tamen mentis ipsius vigor et alacritas frangebatur, ita ut segnius pro *Ethnico-Christianis* pugnaret. Ardor ejus cum ingruente crescebat periculo. Impavidus ancipiti bello obviam procedebat, monendo, hortando, minando, docendo, bonae caussae augmento et flori insistens. Tandem succubuit scelerato civium suorum furori. Virum divinum, quem *Judaei*, *Christianorum* nomen mentiti, per omnem vitae cursum vexaverant et exercuerant indignissimo modo, *Judaei Hierosolymitani* ferarum in modum corripiunt, et morti cruentae tradere conantur. Vix horum perditorum hominum rabiei ereptus, a *Ro-*

παρασκευάσωσι, καὶ πρὸ τοῦ καιροῦ τοῦ προσήκοντος τὸ πᾶν ἐκκαρπῶσαι σπεύδοντες, περὶ τὰ καίρια ζημίαν ἐργάσωνται κ. τ. λ. ὅρα πόσῃ κέχρηται συνέσει, καὶ πῶς ἑκατέρων ἐπιμελεῖται τῶν μερῶν μετὰ τῆς συνήθους αὐτῷ σοφίας. Dignissimus est, qui legatur in acutâ ipsius explicatione totius loci, quam edidit nuper vir celeb. van Voorst in J. Chrysostomi, *Selectis*, Vol. I. p. 452—475.

Romanis in vincula conjicitur, *Romam* mittitur, ubi post aliquot annos capitali poena affectus vitam gloriâ aeternâ splendentem gloriosâ morte finivit (106).

Sic cecidit firmissimum religionis Christianae propugnaculum, illustrissimum ejus ornamentum. Sed superstites ipsius laboris fructus veram et germa-

(106) Quo anno mortem subierit Paulus, examinavit Mynster in Dissert. *de Ultimis annis muneris Apostolici a Paulo gestis*, inserta ipsius *Kleine Theol. Schrifte*, p. 236 sq. et statuit hoc obtinuisse Anno 67, Neroniani regni 13. Hoc si sumatur, verba Clementis *Rom. in Ep. ad Corinth.* c. 5. p. 149. Cotel. Paulum martyrium subiisse *ἐπὶ τῶν ἡγουμένων*, commode referri possunt ad praefectos, qui dum Nero ipse hoc anno in *Graeciâ* versaretur, urbi praeerant. Sed forte alii magis placebit conjectura, qua statuitur *ἡγουμένους* illos fuisse praefectos, qui post Neronis mortem, ante Galbae adventum *Romam*, rebus praefuerunt. In usum adhiberi potest temporis notatio ab Eusebio in *Chron. ad ann.* 68, ultimum Neronis annum, quem sequitur Clericus l. c. p. 447. ad Neronem tamen ipsum referens mortis sententiam in Paulum pronunciatam. Hoc tenemus, si mors Pauli ad tempus maturius referatur, Clementis verba testis minime spernendi, magnam creare molestiam vix tollendam. Cf. Basnagii explicatio satis contorta, quam proposuit in *Annall.* T. I. p. 739. Mynster l. c. p. 191 sqq. contendit, Paulum bis *Romae* fuisse captivum, quae opinio ab Eusebio *Hist. Eccles.* L. II. c. 25. jam accepta, multis viris doctis placuit, uti L. Capello l. c. p. 29 sqq. Michaëli, *Einl.* T. II. p. 1117. Hug l. c. T. II. p. 128. Bertholdt T. V. p. 2746 sqq. et aliis. Negant vero alii, uti Moshemius in *Comment* ad 1 Tim. II, 2—9. Heinrichs in *Proll. ad II Ep. ad Tim.* p. 124 sqq. Wagenaar l. c. p. 334 sqq. Haselaar l. c. p. 163 sqq. Hodie, plerumque, quod ad hanc quaestionem, mos obtinuit apud viros doctos, Paulum *semel* modo in carcerem conjiciendi.

manam divinae doctrinae naturam servarunt ab interitu. Vigent ipsius ingenii illustrissima documenta literis consignata, non uno seculo profuturis. Quod dum hisce in terris versabatur, ipse adspicere non potuit, post mortem ejus aliud conspexit aevum et eventu felicissimo comprobatum est, quod ipse de veri convictus efficaciâ triumphoque illustri, augurari sustinuerat: *ὁ μὲν τοι στερεὸς θεμέλιος τοῦ θεοῦ ἕστηκεν!*

§. 29. *De coetu Hierosolymitano ab Apostolis deserto*, Jacobi *curae mandato.*

Cum Paulus ultimâ vice *Hierosolymam* visitabat, *Christianos* ibi minime mutatos deprehendit ab eo, quod antea fuerant, legis Mosaicae studiosos. Quamvis satis comiter a Jacobo et presbyteris Ecclesiae recipiebatur, occultare hi ipsi non potuerunt, quam male audiret ipsius nomen *Hierosolymis*, ubi legis *Judaeorum* desertor, et gentilium patronus dicebatur. Consilium ei dederunt, ut se accommodaret opinionibus *Judaeo-Christianorum;* fecit Paulus, sed quam infelici successu, aiunt omnes (107). Hac autem opportunitate, ad argumentum nostrum pertinere duximus, quaedam in medium afferre, de conditione *Hierosolymitani* coetûs, ultimo tempore, quo haec urbs incolumis stetit, et de praeside hujus Ecclesiae

(107) Vid. *Actor.* XXI, 17 sqq.

siae Jacobo, medium quasi locum inter *Paullinos* et *Judaizantes* occupante.

Mitior illa res contemplandi ratio, quam *Apostolis* in conventu solemni congregatis, placuisse vidimus, non multos fautores nacta esse videtur in ipsâ Ecclesiâ *Hierosolymitanâ*. Nec mirum nobis accidit; etenim *Judaeo-Christiani*, qui eam efficiebant, vix ullum commercium habuerunt cum fratribus suis e Gentibus. In ipsâ sede Mosaici cultus habitabant, neque Paulum vel similem ei apud se habebant, qui praejudicatarum opinionum vim infringere posset: vigebat apud illos *Judaeo-Christianismus* toto suo ambitu, neque externarum rerum efficaciâ labefactatus. Identidem, ut fit, opiniones illae firmabantur, et quod de successu religionis suae inter gentes audiebant, non valebat ad persuasionem, cui se emancipaverant, evertendam. Hisce omnibus, quae ex ipsius rei naturâ, et eorum conditione peculiari sequebantur, hoc imprimis accessit, quod *Apostoli Hierosolymam* reliquerint et in alias regiones se contulerint. Videntur hi viri per annos aliquot in urbe mansisse, neque longe ab ejus circuitu discessisse. Si audiamus traditionem, quae jam antiquitus apud *Christianos* invaluit, per annos duodecim manserunt *Hierosolymis*, Jesu mandato obtemperantes (108). Per se haec tradi-

(108) Clemens Alex. Strom. L. VI. dicit, Petrum haec verba Jesu ad *Apostolos* retulisse: *ἐὰν μὲν οὖν τις θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, καὶ διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν*

ditio nihil absurdi continet; sed si eam accipere velimus, necesse est, ut statuamus, non omnes *Apostolos* simul abiisse, vel quosdam subinde rediisse. Etenim in conventu *Hierosolymitano* Petrum et Joannem affuisse vidimus (109). Quidquid hac de re statuimus, hoc affirmare possumus, eo tempore, quo Paulus *Hierosolymis* in vincula conjectus est, neminem *Apostolorum* ibi amplius fuisse, nisi Jacobum, qui num proprie *Apostolus* dici possit, mox inquiremus. *Apostoli* igitur, muneris sui, quo a magistro divino ornati fuerant, memores, alias peragrant regiones, Euangelii annunciandi causâ. Quid fecerint, ubinam locorum pervenerint, quomodo vitam clauserint, incertum est, nisi ea, quae de Joannis fatis et Petri morte agunt, et forte pauca alia excipere mavis (110). Hoc altum historiae si-

τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. Fabricio in *Cod. Apocr. N. T.* p. 331* verosimile videtur, Clementem hoc habuisse ex κηρύγματι quodam Petri. Similia narrat Euseb. *Hist. Eccl.* L. V. c. 18. p. 189 sqq. ex Apollonio scriptore seculi 2 exeuntis. Cf. Planck l. c. p. 189 sqq. Quod dicit Paulus *Gal.* I, 18. se nullum *Apostolorum* vidisse *Hierosolymis*, nisi Petrum et Jacobum, haud multum favet huic traditioni, si nempe quis ad literam eam sumere velit.

(109) Vid. supra §. 16.

(110) Qui ejusmodi fabulas legere cupit, evolvat opus Pseudo-Abdiae, cui titulus, *Historia Apostolica*, in 10 libros digestum, editum a Fabricio in *Cod. Apocr. N. T.* p. 402. sqq. In discernendo vero, quod ejusmodi fabulis inesse videtur, multum operae adhibuit M. H. Hohlenberg in Dissert. *de origg. et fatis Eccles. Christ. in India Orientali.* Hafniae 1822. p. 24 sqq. 45 sqq.

silentium campum latissimum aperuit seriori aevo, in quo ingenium fabulis indulgens, iisque saepe quam maxime insulsis, exerceret, risumque moveret peritioribus rerum judicibus. Ineptiis hisce loco suo relictis, ex iis, quae certiora sunt, rerum statum nobis proponere conemur.

Cum autem *Apostoli* non amplius *Hierosolymitano* aderant coetui, *Judaizantium* studium in dies accrescere debuit. Nam eorum profectione ex urbe, ultima remota fuerunt repagula, quae insanum hunc animorum impetum retinere potuerint. *Christiani* sorti suae relicti magis magisque sese offirmarunt in opinionibus suis, et qui meliora sentiebant, horum mentem immutare haud valuerunt: neque adeo ipse Jacobus, quamvis eum mentem suam egregie circa quaestionem toties agitatam expressisse audivimus, in conventu illo solemni.

Jacobus ille, cujus sentiendi modum supra nomine insignivimus *Petrinae* rationis, principem locum in *Hierosolymitanâ* ecclesiâ obtinuisse videtur. Vulgo nomine *fratris Domini* appellatur (111). Quod num de fratre proprie sic dicto, an de consanguineo accipi debeat, multum disputatum est ab antiquo, et adhuc disputatur. Eâdem obscuritate laborat alia quaestio, num Jacobus ille idem habendus ac Jacobus Alphaei filius, cujus nomen in catalogo duodecim

(111) *Gal.* I, 19. Josephus *Antiq. Jud.* L. XX. c. 8. p. 698. B. Hegesippus apud Euseb. *Hist. Ecl.* L. II. c. 23. p. 50.

cim *Apostolorum* exstat, an vero ab eo diversus sit (112)? Neque spatium, nec mens nobis est, hanc in arenam descendere, in qua viri summi frustra saepe virium suarum experimentum fecerunt. Satius duximus hujus pugnae et certaminis spectatores agere, quam temere nobis huic vel illi vexillo adjungendis, plus vulnerum quam palmarum ex acie nobis comparare. Hoc tantum di-

(112) Qui putant, Jacobum germanum fuisse Jesu fratrem, provocare solent ad loca *Matth.* XIII, 55. 56. *Joan.* VII, 2—10. *Matth.* XII, 46—50. neque negari potest, hisce locis magnam inesse probabilitatem huic sententiae faventem, et loca Josephi et Hegesippi mox citata pondus huic opinioni adjiciunt minime spernendum. Imprimis locus *Actor.* I, 14. minus favet iis, qui fratres Jesu eosdem habent, quorum nomina inter *Apostolos* numerantur. Sed qui Jacobum eundem habent atque *Alphaeidem*, adeoque ἀδελφὸς latiori accipiunt notione, suae opinionis praesidium petere possunt ex locis nonnullis *Actorum*, ubi eodem numero Jacobus cum aliis *Apostolis* recensetur. Multum huc facit locus *Gal.* I, 19. ubi diserti inter *Apostolos* a Paulo nominatur: et mirum certe est, tria nomina Jacobi, Simonis et Judae tum exstare in catalogo *Apostolorum*, tum dari fratribus Jesu, si quidem illi diversi habendi sint. Cf. *Act.* I, 13. et *Matth.* XIII, 55. quamvis haec oppositio solutione carere non videtur. Prior sententia magnum patronum nacta est Herderum in libro *Briefe zweener Brüder Jesu in unserem Canon*, A. 1775. quem secuti sunt Niemeyer, *Charakterk.* T. V. p. 587 sqq. et Hess, *Lehre, Thaten und Schicksale unseres Herrn*, P. II. p. 55. Posterior plerisque virorum doctorum placuit, quorum nomina lege apud Pott, qui in *Edit.* 2. *Epist. Jacobi* hisce accessit p. 80, 81. et copiose argumenta ab utraque parte allata disposuit et accurate examinavit. Eandem sententiam auctoritatis suae pondere confirmantem audivimus virum celeb. van Voorst in *Dictat. Introductionem ad Interpret. Epist. Jacobi complectentibus*, Sect. II. §. 1.

dicendum putavimus, si quidem Alphaei filius nosterque Jacobus unus sint idemque, sponte sequi, eum *Apostolum* nuncupari posse. Cui vero distinguendi videntur, hic nobis facile condonabit, si *Apostoli* nomine eum salutamus; nam si hujus vocis notionem non nimis urgeamus, nomen hoc quoque possit dari ei, qui tantâ auctoritate, *Apostolorum* simili, inter *Hierosolymitanos* florebat.

Quamvis bene tenendum censuimus, recentioris aevi hierarchiam minime esse referendam ad prima *Christianorum* tempora, tamen quam maxime probabile, nisi certum aestimamus, Jacobum primum locum in Ecclesiâ *Hierosolymitanâ* obtinuisse. Hoc nomine in *Actis Apostolorum* proponitur. Nam Petrus e carcere liberatus, Jacobo nominatim nuncium hujus eventus afferri jubet; Jacobus in conventu Apostolico sententiam suam dixit, tanquam talis vir, cujus suffragium multum valeret. Cum Paulus presbyteros *Hierosolymitanos* visitat, reperit ipsos in aedibus Jacobi. *Judaizantes* porro illi, qui *Antiochiam* venerant, legatorum Jacobi nomen prae se ferunt. Paulus ipse eum aeque ac Petrum et Joannem στύλου appellatione ornat (113). Unde efficimus, Jacobum ob merita sua, et sanguinis vinculum, quo cum Christo ipso jungebatur, *Christianis Hierosolymitanis* imprimis ca-

(113) *Act.* XII, 17. XV, 13 sqq. XXI, 18. *Gal.* I, 19. II, 9, 12.

carum fuisse, eorumque gratiâ et favore gavisum esse. Primo tempore auctoritatem, quam inde habebat, divisam tenuisse cum aliis *Apostolis*, imprimis Petro: postquam vero hi omnes urbe excesserant, tacito quasi consensu Jacobo primas partes in Ecclesiâ delatas fuisse. Nihil mirum itaque, recentiorem aetatem, ex loquendi suâ ratione, Jacobum *Episcopum Hierosolymorum* dixisse (114).

§. 30. *De* Jacobo *mitiori Judaeo-Christianismo faventi.*

Jacobus Ecclesiae *Hierosolymitanae* sedi, adeo et matri *Judaeo-Christianorum* praefectus, horum causae satis profuisse videtur. Quamvis nolumus eum in horum numerum referre, qui Judaicae legis observationem *Ethnico-Christianis* obtrudere vellent, sentiendi ejus ratio tamen ejusmodi fuit, ut *Judaeo-Christianis* multum faveret

(114) Euseb. *H. E.* L. II. c. 1. p. 30. narrat, Jacobo Episcopatum Ecclesiae *Hierosolymitanae* traditum esse, citato loco ex Clem. Alex. *Hypotyp.* L. VI. Hegesippus apud Euseb. l. sup. c. Episcopatum eum tenuisse dicit, μετὰ τῶν ἀποστόλων, quem Hieronymus in *Catal. script. Ecclesiast.* T. I. p. 170. Edit. Francof. A. 1684. perperam reddidit *post Apostolos*; merito eum hanc ob causam carpente Rufino. Jacobum adeo a Christo jam creatum esse Episcopum, narrat Chrysostomus, *Homil.* 38. *in Epist.* I. *ad Corinth.* Antiquam fuisse traditionem apparet ex Pseudo Clem: *Recognit.* L. I. c. 43. p. 497. *Coteler.* ubi Jacobus dicitur *Ordinatus a Domino in Episcopum*, quocum consentiunt *Constitut. Apost.* L. VIII. c. 35.

ret, et quod ad ipsos attineret, quaestionem solveret ajendo. Ipse enim suo exemplo praeibat, Judaici cultus observator perpetuus.

Hoc ni fecisset, tanto favore apud totum populum *Judaicum* non gavisus fuisset, quem ei obtigisse tradit Hegesippus, neque honorifico cognomine *Justi* eum donavissent cives *Hierosolymorum* (115). Deinde cum picturam hujus viri, quam

(115) Hegesippus apud Euseb. l. c. *Διά γέ τοι τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐκαλεῖτο Δίκαιος καὶ Ὠβλίας ὅ ἐστιν ἑλληνιστὶ περιοχὴ τοῦ λαοῦ καὶ δικαιοσύνη, ὡς οἱ προφῆται δηλοῦσι περὶ αὐτοῦ.* Obscuritate laborat vox illa *Ὠβλίας*, quam ipse Hegesippus non bene intellexisse videtur: nam quomodo simul *περιοχὴ τοῦ λαοῦ* et *δικαιοσύνη* notare potuerit, non assequor: nisi illud *δικαιοσύνη* pro ulteriori explicatione praecedentis habere velis. *Ὠβλίας* a Scaligero componitur cum Hebr. עֹפֶל יָהּ sed, uti bene monuit Basnage, *Annal.* T. I. p. 430. non solvit Hegasippi interpretationem. At vero recte a Scaligero in meliorem explicationem ducimur, dicente ortam esse vocem a עֹפֶל עָם quod melius responderet Graecis *περιοχὴ τοῦ λαοῦ*. Fuere etiam, qui pro *Ὠβλίας* legandum esse putarent *ὠζλίαμ*, uti Nic. Fullerus (vidd. Vales. in *notis ad* Euseb. p. 35. B. C. et Fabric. *Cod. Apocr.* p. 600 sq.) comparans cum Hebr. עֹז לָעָם sed vulgatam lectionem non esse sollicitandam, tum docet constans lectio *τοῦ Ὠβλίας* etiam apud alios, uti Epiphan. *Haeres.* 78, tum interpretatio ejus, quae vulgo huic voci additur. עֹפֶל autem proprie de colle dicitur, deinde vero in nomen proprium abiit, significans *collem in parte Orientali montis Sionis monumento circumdatam.* Cf. 2 *Chron.* XXVII, 3. XXXIII, 14. *Nehem.* III, 27. Unde facile cognomen Jacobi apud populum oriri potuit: *β* autem et *φ* inter se permutari posse, quisque novit. Quod Hegesippus addit *ὡς — αὐτοῦ* illustrari potest ex iis, quae deinde addit *καὶ ἐπλήρωσαν τὴν γραφὴν, τὴν ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ γεγραμμένην· ἄρωμεν τὸν δίκαιον κ. τ. λ.* p. 51. D. ubi re-

quam ille scriptor satis antiquus reliquit, contemplamur, quamquam hujus delineationis colores hic illic minus probos et vero consentaneos esse, facile concedimus (116), Jacobum vix Christi cultorem, sed potius *Judaeum* videri putamus, *Essenismi* placitis addictum (117). Hujus sectae opinionum vestigia in Epistolâ, quam ab eo exaratam adhuc legimus, nonnulli viri docti sibi reperisse videntur (118). Num bene sic statuerint, dubium nobis est; sed hoc tenemus, comparatis inter se, quae traditio historica de Jacobo tradit, et quae lectio hujus Epistolae unicuique facile suppeditabit, Jacobum fuisse germanum *Judaeo-Christianum*, optimae quidem notae, quippe qui medium tenebat inter rationem *Ju-*

respicitur ad locum *Jes.* III, 10. de cujus loci *Graecâ* lectione cf. Fabric. l. c. p. 605. in *nota*.

(116) Acerrime in hunc locum invectus est Scaliger in *notis ad Chron.* Hieron. cujus argumenta repetivit et adstruxit Clericus l. c. p. 414—419. ubi tamen nimiae contradictionis vestigia facile reperies.

(117) Vel si mavis, depingit eum Hegesippus ut *Naziraei* voto adstrictum et quidem per omnem vitae cursum. Quod porro de Jacobo dicit hic scriptor, ei soli licitum fuisse in sancta templi penetralia introgredi, admodum dubiae fidei est. Alii hanc fabulam adhuc augere conati sunt, uti Epiphan. *Haeres.* 29. qui sacerdotem facit Jacobum, et τὰ ἅγια quod legitur in loco Hegesippi apud Euseb. l. c. mutavit in τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. Hieronymus etiam in *Catal. Script. Eccles.* l. c. habet *sancta sanctorum*.

(118) Huic comparationi operam dedit, praeeunte Augustio, Pottius in *Prol. ad Ep. Jac.* p. 104 sqq., ubi loca ex hac Epistolâ componit cum iis, quae Josephus et Philo de *Essenorum* placitis tradiderunt: neque omnis convenientia denegari potest.

Judaizantem et *Paulinam*; sed qui eodem tempore inscius quasi et involuntarius rei Christianae damnum afferre potuisset, nisi divinâ providentiâ malum fuisset averruncatum.

Paulo eum infensum fuisse, et hanc ob causam πολεμικῶς Epistolam scripsisse, minime statuimus. Hujusmodi consilium nequaquam a viro exspectandum erat, qui ipse causam egerat *Ethnico-Christianorum*, et Paulum ipsum fraterno amore recipere consueverat. At vero plane ei suffragatum esse in proponendâ Mosaicae religionis dignitate et pretio et in vindicandâ libertate *Ethnico-Christianorum*, nobis persuadere non potuimus. Ultro quidem damus, Jacobum in Epistolâ suâ contra abusum, cui nonnulli ex *Ethnico-Christianis* se tradiderant in adhibendâ doctrinâ Paulinâ, verba facere eumque impugnare, sed hoc tamen tenemus, quemadmodum scripsit Jacobus non scribere solere hominem, cui primum est ac praecipuum alius parcere famae. Non casu fortuito factum est, Jacobum iisdem saepe verbis uti, eandem argumentandi viam sequi contra *Pseudo-Paulinos*, quam ipse Paulus tenuerat *Judaizantibus* contradicens (119). Uterque quidem scriptor verum vidisse statuimus, sed, ut fit, varia esse potest via, qua ad illud tendimus,

(119) Cff. *Jac.* II, 21 sqq. cum *Rom.* IV, 1. et *Gal.* III, 6 sqq. *Jac.* I, 3. cum *Rom.* V, 1. *Jac.* IV, 4. cum *Rom.* VIII, 7. *Jac.* IV, 12. cum *Rom.* XIV, 4. Neque convenientiam inter loca *Jac.* II, 25. et incerti auctoris ad *Hebr*, XI, 31. negare possumus. Leg. Hug l. c. p. 513 sqq.

mus, et differre debet utriusque expositio secundum variam contemplandi rationem, quae unicuique propria est.

Attentione dignum est, totum Jacobi Epistolae argumentum versari in praeceptis morum inculcandis; nihil fere ab eo dici de meritis Christi, deque gloriâ ejus coelesti, qua post abitum ejus e terrâ ornatus est, quales descriptiones quavis fere paginâ in Pauli occurrunt scriptis, neque ab Epistolis *Petrinis* absunt (120). Stili etiam *Jacobei* color, magis quam aliorum, *Hebraicam* dicendi rationem exprimit; imaginibus delectatur et floribus Orientalem plagam spirantibus (121). Hic illic se evehit ad veterum vatum sublimitatem et majestatem (122). Omnium maxime, si Joannem excipias, dicendi genus ipsius ad Jesu loquendi modum accedit; neque in fratre Domini imitationis cujusdam vestigia obscuranda aut neganda, qua ad divini sui exemplaris fastigium, sed inaequali gradu, sese extollere conatus est.

Denique nihil rei ipsius naturae magis consentaneum, quam ut praefectus coetûs *Judaeo-Christianorum* ad fratres suos extra *Palaestinam* dispersos

(120) Quod ad doctrinam a Petro propositam de Jesu ejusque meritis attinet, leg. Doct. G. Rultenschild in Dissert. *in locum* 1 *Pet.* I, 3 — 12. p. 103 sqq.

(121) Vidd. loca *Jac.* I, 10, 11, 15, 23, 24. III, 3 — 6, 11, 12. IV, 14. V, 7 cet.

(122) Instar omnium sit locus gravissimus *Jac.* V, 1 sqq. ubi antiquum vatem audire putes.

sos Epistolam mitteret (123) Horum salus maxime ei cordi esse debuit, ne forte abusu doctrinae *Paulinae* in devia abriperentur, *Judaicâ* stirpe prognatis indigna. Hos cum spectet, multo facilius sunt ferenda, quae, si *Ethnico Christianis* proposita fuissent, invidiosiora in Pauli fuissent auctoritatem inque malam partem accipi potuissent.

Ex lectione tamen Jacobi Epistolae, quantumvis per se egregiae, locoque, quem occupat, dignissimae, simul nobis cogitatio subit, quam bene consultum fuerit rei Christianae, primis temporibus virum exstitisse, qualem se praestitit Paulus. Ille fecit indefesso suo labore, quod Jacobus *Judaeo-Christianis* favens nunquam facere potuisset: nam ejusmodi sentiendi rationi, qualis fuit *Judaizantium*, *Paulina* opponi debebat; non vero mitior quaedam, nimium eorum desideriis concedens. Gravi autem malo vehementius adhibendum est remedium; igne ferroque est utendum, ubi vulnera vitam minantur. Talis fuit conditio *Christianorum* a *Judaizantium* opinionibus infestata, tale requirebatur auxilium, ut veneno in dies crescenti obviam iretur. Hoc si te-

(123) Constat ex Jacobi Epistolae inscriptione, *ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ*, eum scripsisse ad *Judaeo-Christianos* extra *Palaestinam* degentes. Distinguitur *διασπορὰ* in *Asiaticam* et *Graecam*, hanc *Alexandriam*, illam *Babylonem* metropolin habentem. Vid. Hug. l. c. p. 512, 513. Num peculiares Ecclesias quasdam ob oculos habuerit, vix definiri potest. Vid. Pott l. c. p. 117 126.

tenemus, nemo judicium nostrum de pretio scripti Jacobi iniquius censebit; et quamvis dolemus circa hanc Epistolam viro, qualis fuit Lutherus, tam triste excidisse judicium, facile tamen ei hoc condonabimus, reputantes, egregio illi Sacrorum Instauratori idem impositum fuisse, quod Paulus sustinuerat, scilicet ut eidem pestiferae sentiendi rationi inter *Christianos* se opponeret, qualem impugnâsse vidimus suâ aetate jam ipsum *Apostolum*.

CAPUT QUARTUM.

DE JUDAEO-CHRISTIANISMO AB ALTA SEDE SUA DETURBATO ET LETHALI AFFECTO VULNERE.

§. 31. *De vi et efficacitate, quam exserere Judaeo-Christianismus in rem Christianam necessario debuit.*

Vidimus jam, qualem ortum habuerit *Judaeo-Christianismus*, quomodo cum contrariâ ei sententiâ luctam et controversiam exercuerit, quousque in Christi societate pervenerit, ut vim suam et efficaciam in eam exsereret. Hujus opinionis historiam per aevum *Apostolorum*, quantum fieri potuit, persequi conati sumus, neque aliud nobis restat, quam ut, antedicta in summam redigentes, describamus, quid necessario e conaminibus fautorum hujus sententiae in Christi disciplinam redundare debuerit, et quidnam praecipue ansam dederit, ut *Judaeo-Christianismi* vires, maximâ parte saltem frangerentur et efficaciâ suâ privarentur.

Ne-

Nemini certe dubium videbitur, *Judaeo-Christianismum* in rem Christianam magnam vim exserere potuisse. Quid autem effecerit, praecedens nostra disputatio, historicis demonstravit argumentis; et res ipsa docet, non aliter eventum obtinere potuisse, quam quidem locum habuit. Primum enim hoc maxime observatu dignum est, *Judaeo-Christianos* magnâ auctoritate gavisos esse in omnem Ecclesiam, ob antiquitatem et honorem coetûs *Hierosolymitani.* Haec fuit, uti supra jam diximus, mater omnium Ecclesiarum, quae identidem per alias terras condebantur. Omnium aetatum experientia docuit, quantam vim exserere soleat in hominum animos, nominis cujusdam antiqua nobilitas, et gloria. Quemadmodum seriori aevo celebratum *Romae* nomen, quamvis hoc magis ex monumentorum ruinis, pristinique aevi memoriâ alte sonabat, multum contulit ad hujus urbis Episcopi honorem et imperium augendum, sic *Hierosolymorum* celebritas et venerabilis hujus urbis sanctimonia in civium partem redundavit, qui Christi castris sese adjunxerant. Suspiciebant cultus paterni sedem, quotquot *Judaeorum* nomine appellabantur, neque veneratio ista ex *Christianorum* animis subito evanescere potuit, quibus haec urbs tot tantasque ob causas cara esse debuit; et sacra vitae fata et gesta optimi *Servatoris* audire non poterant, nisi cum illis *Hierosolymorum* mentio jungeretur. Illic cruentam subierat mortem, illic postea in vitam redierat, illic fundamenta fuerant jacta societatis Chri-

Christianae, auspicibus Deo et Christo, *Apostolorum* operâ et indefesso labore.

Horum deinde virorum auctoritatem *Judaeo-Christiani* in usum suum convertere poterant. Nulla enim Ecclesia tam diu horum vocem audiverat, quam *Hierosolymitana*. Cum autem de doctrinâ quadam quaestio ageretur, quid magis rei consentaneum habendum esset, quam suffragia colligere horum *Christianorum*, qui ipsos *Apostolos* tam diu docentes audiverant. Exemplum hujus rei illustrissimum conventus ille *Hierosolymitanus* exhibuit. Et hoc ejusmodi erat, ut datâ opportunitate, Judaizantes ad illud possent provocare, et hujus auctoritatis pondere aliter sentientes ad silentium redigere. Quantâ auctoritate autem Ecclesia quaedam Apostolica gaudere potuit, serioris aevi docuit historia. Seculo secundo cum de quadam re disputatio orta fuerat, sententia cujusdam Ecclesiae, quam *Apostolus* quidam condiderat, magno pondere praedita erat. Hoc nomine coetus *Romanus* jam ab Irenaeo celebrabatur (1). Quidni statuamus, eodem modo egisse *Judaeo-Christianos*, et ecclesiae suae Apo-

(1) In loco celebratissimo Lib. III. c. 3. „*Ad hanc ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire ecclesiam* etc." de quo loco leg. Neander l. c. P. I. p. 318 sq. Irenaeo imprimis adamatum fuisse, in refutandis haereticis, provocare ad traditionem Ecclesiae Apostolicae vel ad doctores, qui *Apostolos* audiverant, luculenter apparet ex fragmento Epistolae cujusdam ad Florinum scriptae, quod servavit Eusebius, *Hist. Eccl.* L. V. c. 20.

Apostolicae jactavisse auctoritatem, quando aliquis difficilius ab opinione sibi propriâ discedere vellet.

Denique huc accedebat arctissimus nexus et necessitudinis vinculum, quo *Judaïsmus* cum Christi jungebatur doctrinâ. Discrimen magnum, quod revera inter utrumque aderat, facillime potuit obscurari et e conspectu amoveri a callidiore quodam doctore, ut imprudentibus fucum faceret. Talibus scrupulum injicere potuerunt, ne forte nimium detrahendo de laude Mosaicae religionis, invidiosius ageret in ipsam Christi disciplinam, illi quasi superstructam et insitam. Ab alterâ parte etiam interdum sic peccarunt, ut incaute agendo ansam darent cavillatoribus dicentibus, *Christianos* e Gentilibus pristinam superstitionem et pravos mores miscere velle cum Christi institutione. Huicce agendi rationi plane oppositus erat *Judaïsmus*, unius Dei doctrinam, morumque integritatem praedicans. Quanto facilius hujus fautores strenui in partes suas trahere debuerunt *Christianos*, quibus nihil magis fugiendum videbatur, quam Gentilium vita et mores dissoluti. Scripta Sacra *Judaeorum* legi et adhiberi solebant a primis Christi sectatoribus. Hisce modo operam dederunt, cum nondum exstabat corpus scriptorum ab *Apostolis* horumque discipulis exaratorum, quo, fontis instar et normae, uti poterant. Ex frequenti illo usu scriptorum *Judaeorum* plura in doctrinam Christianam pervenerunt, quae non attendentes ad temporum hominumque discrimen in novam disciplinam importarunt.

Quae cum ita sint, sponte sequitur, *Judaeo-Christianismi* eam fuisse naturam et rationem, ut magnam omnino efficaciam exserere debuerit. Quibusnam in rebus haec efficacia constiterit, jam enucleatius videbimus.

§. 32. *De iis, quae effecit Judaeo-Christianismus in doctrinam Christianam.*

Primum et praecipuum, quod hic in censum venit, ipsa est *doctrina Christiana.* Nota ejus characteristica haec dici potest, eam omnes omnino homines spectare, sine discrimine aetatis aut gentis. Quid vero in Judaicâ cernimus religione? Hic regnat ubique, ut ita dicam, *Particularismus* quidam, uni modo genti primas partes in religione suâ concedens; quae sentiendi ratio quam contraria sit indoli Christi doctrinae, vix dici potest.

Hujus rationis vestigia satis superque apparuerunt in *Judaeo-Christianis*, et hoc nomine horum conamina magnam noxam doctrinae Christi germanae attulerunt. Duo enim conjungere tentârunt, quae revera inter se pugnantia dici possunt. Adstringentes cultores Christi institutis, quae aliis hominibus vana aut molesta videbantur, cohibuerunt, ne hi accederent societati, indole quidem doctrinae suae unicuique se commendanti, additamentorum vero mole Gentiles absterrenti.

Porro Judaicae religionis natura non apta fuit hisce temporibus, cum Christi disciplina primum sectatores suos nanciscebatur. Quod in do-

ctri-

ctrinâ a Jesu *Apostolisque* propositâ, sublimitate suâ nativâ et puritate se commendabat, a crassis imaginibus, quibus *Judaei* istâ aetate delectabantur, obscurabatur et quasi ab altâ suâ sede in terrarum umbram et squalorem detrahebatur. *Judaeo-Christiani* divinas Euangelii doctrinas, non attendentes ad imaginem, qua proponebantur, et rem ipsam, quam depingere debebant, per ineptam suam rationem verâ earum naturâ spoliarunt. Quod volumus, exemplo illustremus, ex ipsâ Christianae doctrinae historiâ depromto.

Chiliastarum somnia, quae tamdiu fautores invenerunt in Ecclesiâ, ex *Judaico* fonte derivanda esse, nemini facile dubium videbitur (2). Veterum prophetarum lectio, qui gentis Judaicae futuram felicitatem variis imaginibus depingere solebant (3), lineamenta ipsis suppeditare debebant, quibus gaudia regni istius millenarii proponere solebant. Ratio autem *Paulina* minime ejusmodi somniis favebat, hicce enim *Apostolus* in descriptionibus suis regni Christi, futuraeque beatitatis sic versari solebat, ut ipsius Servatoris mentem quam accuratissime exprimeret, his verbis conceptam: *οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως — ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν* (4).

Pri-

(2) Cf. Schmidt l. c. T. I. p. 162, 222.

(3) Loca quaedam ex V. T. jam notavimus supra §. 8.

(4) *Luc.* XVII, 20, 21. Doctrinam Pauli, regnum Christi morale describentem ex variis locis ipsius scriptorum, delineavit Gieseler in *Archiv.* l. c. p. 315 sq. Idem vir acu-

tis-

Primis temporibus *Chiliasmus* maxime suos fautores apud *Judaeo-Christianos* invenisse videtur. Neque nos hoc gratis sumere, exinde apparet, quod eandem opinionem etiam deprehendimus apud *Ebionaeos* (5), tempore Hieronymi. Haec autem secta, in qua antiquae Ecclesiae *Hierosolymitanae*

tissimus, reliquos *Apostolos Chiliasmo* magis favisse existimat p. 317. Quo referendum etiam putat, quod de coeli terraeque instauratione habet Petrus in 2 Epist. III, 10 sqq. ubi mox addita mentio Pauli, 15, 16. ad variam hujus dogmatis proponendi rationem indicandam, inservire ei videtur.

(5) De *Ebionaeis* et *Nazarenis*, uti dicebantur, datâ operâ nunc non agimus. Pertinent potius ad seriora tempora, et satius duximus, ne haec nostra disputatio nimis in molem cresceret, hujus argumenti uberiorem tractationem in aliud rejicere tempus. Quae subinde jam nunc de iis monebimus, peculiari consilio attribuenda, scilicet ut sic efficacia, quae *Judaeo-Christianismo* adscribenda est jam primis temporibus, clariore in luce ponatur. Ceterum hic adscribere lubet nomina scriptorum recentiorum, quorum scripta de *Ebionaeis* et *Nazarenis* agentis, perlustrare nobis contigit. Clericus *Hist. Eccles.* p. 476 sqq. 535 sqq. Beausge *Annal.* T. II. p 7—9. Buddeus l. c. p. 486—550. (ubi perspicua et copiosa enarratio exstat variarum de hoc argumento sententiarum) Moshemius, *Comment. de rebus Christ. ante Constant. M.* p. 172 seqq. Schröckh, *Kirchengeschichte* T. II. p. 315—320. Anonymus (Leutwein) in libro *Ontwerp der Godsdienstgevoelens* cet. T. I. p. 98—191. Gibbon, *History of the decline* etc. T. II. p. 273—278, (qui egregia pro more suo exhibet monita), J. E. C. Schmidt l. c. T. I. p. 229—233. Neander *Geschichte der Christ. Relig. etc.* P. II. p. 603—627. et in *Genet. Entwicklung der Gnost. Syst.* p. 361 sqq. cui imprimis multa me debere fateor. Datâ operâ argumentum tractavit, omnesque alios post se reliquit Gieseler in *Archiv.* supra cit. I. p. 307 sqq. Non sine fructu legi possunt Michaëlis, *Einleit.* §. 133. T. II. p. 864 sqq. et H. Olshausen, *Die Echtheit der 4 Canonische Evangel.* Regiom. 1823. p. 32—90.

nae, aliorumque coetuum *Judaeo-Christianorum* cernimus reliquias, etiam hac in re originem suam Judaicam manifestam reddebat. Hieronymus autem pluribus locis, cum contra *Chiliastas* disputat, *Judaeos* et *Judaizantes* illos excitat, qui effata prophetarum de futuro aureo seculo ad literam interpretabantur (6). Mentionem etiam subinde facit *Judaeorum* et *nostrorum Semijudaeorum, qui auream atque gemmatam de coelo exspectant Hierusalem* (7) et diserte ejusmodi sententiae fautores nominat *Ebionitas* (8). Et omnino auctoritas Hieronymi, qui tamdiu in *Palaestinâ* versatus est, hac in re magni ponderis est habenda (9).

Chi-

(6) Hieronym. *Comment. in Esaiam*, Cap. XI. T. V. p. 43. *ad Es.* XXXV. p. 120.

(7) Hieron. ibid. in Cap. LX. p. 190.

(8) Hieron. ibid. in Cap. LXVI. p. 47. „*Judaei et* „*Judaici erroris haeredes Hebionitae, qui pro humilitate sen-* „*sus nomen pauperum susceperunt, omnesque mille annorum de-* „*licias praestolantes, equos et quadrigas et rhedas* etc. (quo- „rum mentio fit in loco Jesajano) *sic intelligunt, ut scripta* „*sunt.*" Vid. et *procemium* lib. XVIII. *in Esaiam* p. 203, 204. Quid vero exspectaverint in regno millenario hi homines, indicat Hieronymus variis locis, quos excitavit Gieseler l. c. p. 294, 295.

(9) Gieseler l. c. p. 291. locum Irenaei L. I. c. 26. „*Quae autem sint prophetica curiosius exponere nituntur*" de *Chiliasmo Ebionaeorum* explicari posse existimat, quia Irenaeus mox addit „*ut et Hierosolymam adorent, quasi domus sit Dei.*" Sed admodum dubium nobis videtur. Concedimus quidem, illud *curiosius* non nimis durum fuisse, sed cum ipse Irenaeus *Chiliasta* fuerit, dubitamus adhuc vehementer, num hoc vocabulo usus fuisset, si de *Chiliasmo Ebionaeorum* cogi-

tas-

Chiliasmus autem etiam inter ceteros *Christianos* diuturno viguit tempore. Seculo secundo inter ejus patronos nomina satis celebria occurrunt Papiae, Justini Martyris, Irenaei. *Montanistarum* sentiendi rationi multum debuit haecce opinio; quid mirum itaque, Tertullianum idem somniasse somnium. Sed doctores *Alexandrini*, quibus imprimis multa debet doctrinae Christianae ulterior elaboratio (10), *Chiliasmo* prae ceteris interitum creaverunt, ita ut post seculum quartum medium inter Ecclesiae doctores contraria sententia defendi soleret (11) Sed nostri argumenti ratio non sinit, ulterius in hunc campum devagari. Monita sufficiunt ad probandum, quod diximus, *Judaeo-Christianismum* magnam vim exseruisse in doctrinam Christianam, ita quidem, ut tandem post longum temporis inter-

tasset. Magis nobis placere possit explicatio horum verborum satis obscurorum, quam proposuit Neander, *Genet. Entwicklung* etc. p. 390 sq. Vult enim, Irenaeum locutum esse de nimiâ curâ, qua *Ebionaei* notas veri prophetae inquirere et definire solebant. Hanc tamen suam explicationem minus sibi deinde placere ipse confessus est vir clarissimus *Geschichte der Chr. Rel.* P. II. p. 615 sq.

(10) Scholae *Alexandrinae* proprium erat et peculiare, quod a Neandro dicitur. „*Eine Idealistische Richtung, und geistigere wissenschaftliche Auffassungsart der Christliche Glaubenslehre.*" Quam definitionem Latinis verbis clare interpretari non possumus.

(11) Brevem historiam *Chiliasmi* lege apud Gibbon l. c. T. II. p. 296 sqq. et Neandrum, *Geschichte der Christ. rel.* P. III. p. 1088 — 1096. Cf. et Schmidt l. c. p. 222 sq. 234 sqq. 292 sq.

tervallum contraria sententia primas obtinuerit partes.

Quemadmodum in doctrinâ de futuro *Messiae* adventu vestigia *Judaizantium* clare se produnt, sic etiam efficacia *Judaeo-Christianismi* alio indicio se manifestam reddidit, in sentiendi nimirum ratione de naturâ humanâ et divinâ optimi Servatoris. *Judaeorum* doctrinae tanto animo ab iis defensae de uno Deo, difficultatem non exiguam creare debebat dogma *Christianorum* de divinâ naturâ Jesu Christi, quomodocunque ea tandem definiri soleret (12). Rei naturae etiam consentaneum est antiquissimis Christi sectatoribus *Palaestinam* incolentibus, quorum hi ipsi Christum oculis suis viderant, illi a testibus oculatis narrationem de eo audiverant, religionis suae auctorem magis apparuisse tanquam hominem, quam divinae participem naturae. Natales ejus supranaturales non adeo omnibus clare innotuisse videntur, pleraeque traditiones de vitâ et factis Jesu hinc exordium cepisse videntur, ubi Serva-

(12) *Judaeis* inprimis ortum supranaturalem Christi offensioni fuisse, dilucide apparet ex loco Justini *Mart.* in *Dial. cum Tryph.* p. 280. Edit. Thirlbii, ubi postquam Tryphon dixerat locum *Jes.* VII, 14. quem citaverat Justinus, ad Hiskiam referendum esse, et Graecae fabulae de Persei natalibus mentionem fecerat, sic contra Christianos disputat: „καὶ ὑμεῖς τὰ αὐτὰ ἐκείνοις (Graecis) λέγοντες αἰδεῖσθαι ὀφείλετε, καὶ μᾶλλον ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων λεγόμενον (ubi potius leg. γενόμενον) λέγειν τὸν Ἰησοῦν τοῦτον, καὶ ἐὰν ἀποδείκνυτε ἀπὸ τῶν γραφῶν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, διὰ τὸ ἐννόμως καὶ τελέως πολιτεύεσθαι αὐτὸν κατηξιῶσθαι τοῦ ἐκλεγῆναι εἰς Χριστὸν, ἀλλὰ μὴ τερατολογεῖν τολμᾶτε, ὅπως μήτε ὁμοίως τοῖς Ἕλλησι μωραίνειν ἐλέγχησθε.

vator in hominum prodiit frequentiam. Probant hanc sententiam ipsae *Apostolorum* orationes, in quibus coram populo de Jesu vitâ agunt. Causam exinde facile inveniemus, cur *Ebionaei* isti adhaeserint opinioni, Jesum fuisse filium Josephi et Mariae (13). Hoc nomine ipse Christus a popularibus suis salutabatur (14). Neque cogitandi ratio, quam sequebantur *Ebionaei*, ejusmodi erat, ut ipsis videretur, se hoc statuendo injuriosius agere in religionis auctorem, cujus sectatores se esse profitebantur (15). Neque tamen omnes *Judaeo-Christiani* hanc foverunt sententiam. De *Nazaraeis*, qui dicebantur seculo quarto, satis certum esse videtur, ipsos

(13) Vidd. Tertull. de *carne Christi* c. 14. de *virg. vel.* c. 6. de *praescript. haeret.* c. 33. Origenes. *Homil.* 17. in *Lucam.* Euseb. H. E. L. III. c. 27. p 79. Cf. Gieseler l. c. p. 290 sq. Inde partium studio ductus Alexander *Alexandriae* Episcopus, Arium Ebionis erroribus favere, scribit in Epist. apud Theodoretum, *Hist. Eccles.* L. I. c. 4. p. 15. Edit. *Mogunt.* 1679.

(14) *Joan.* VI, 42.

(15) *Judaeis* enim, qui *Messiam* exspectabant ex stirpe *Davidicâ* ortum, magni erat pretii, postquam Christiani facti erant, demonstrare, Christum Davidis esse abnepotem. Necessario itaque sequebatur, eum *verum* fuisse hominem. Quod semper ob oculos habentes, sponte suâ minus de divinâ naturâ Christi cogitarunt. Experientia autem pristinae rei Christianae aetatis docuit, facile homines in duas rapi potuisse sentiendi rationes sibi invicem oppositas, *Ebionitismum* et *Docetismum.* J. E. L. Schmidt l. c. p. 156 sq. conjecturam proposuit, *Ebionaeos* Josephi filium pronunciâsse Christum, quia Maria ex tribu *Leviticâ* orta habebatur. Vidd. loca citata a Fabricio, *Cod. Apocr.* N. T. p. 19 in notâ.

sos supranaturales **Christi** natales assumsisse (16). Hoc maxime elucet ex loco quodam in Euangelio ipsorum nomine dicto, ubi Spiritus Sanctus mater dicitur **Christi** (17). Ne quis tamen inde efficiat, hos *Christianos* eodem plane modo de **Christi** naturâ sensisse, atque *Athanasianos*, res et ratio vetant (18).

Sed ne ulterius in hoc argumentum excurramus in-

(16) Diserte hoc affirmat Euseb. l. c. ubi de parte quadam *Ebionaeorum* agit, Christum dicente ex Spiritu S. et *Mariâ* natum esse, negante vero ipsius quam ajunt praeëxistentiam. Imprimis huc facit Origenis locus contra Celsum L. V. *οὗτοι δίττοι εἰσι Ἐβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγενῆσθαι ἀλλ᾽ ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους.* Alteram illam partem *Ebionaeorum* eosdem esse, qui seculo 4° *Nazarenorum* dicebantur nomine, ex locorum comparatione satis evidens est. Epiphanius autem *Haeres.* XXIX, 7. profitetur se nescire an *Nazareni* Christum habuerint nudum hominem, an natum ex Spiritu S. sed bene monuit Gieselee l. c. p. 290. hoc accipiendum esse, respectu habito judicandi rationis Epiphanii circa haereticos. Vid. etiam Hieconymi, *Epist.* 89 *ad August.*

(17) In Euangelio secundum *Hebraeos* Servator dicens introducitur „ *ἄρτι ἔλαβέ με ἡ μήτηρ μου τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐν μιᾷ* „ *τῶν τριχῶν μου καὶ ἀπήνεγκέ με εἰς τὸ ὄρος τὸ μέγα Θαβώρ.*" Quem locum servavit Origenes. Vide Fabricins l. c. p. 361* sqq. cujus eruditam lege annotationem. Euangelium illud καθ᾽ Ἑβραίους *Nazarenorum* fuisse, docemur ab Hieeomymo in *Comment. ad Esai.* XL, 11. et *ad Michae* VIII, 6.

(18) Fueruot viri docti, Geotius, Spencerus, Vossius, Huetins, qui *Nazarenos* omnis erroris culpae circa Cheisti naturam eximere voluerunt, quam sententiam imprimis tuitus est Lequien in *annot. ad* Joann. Damasc. T. I. p. 82, 83. et singulari dissert. *de Nazar. et eorum fide*, *Operibus* Damasceni, *addita*. Sed frustra, uti demonstravit Moshemius *Comment. de reb. Chr. ante Constant. M.* p. 329 sqq.

instituti nostri non fert ratio. Allata exempla satis superque ostendunt, qualem vim *Judaeo-Christianismus* in doctrinam Christi et exserere debuerit et revera exseruit. Possumus jam dicta novis augere argumentis, sed non facile putamus, aliquem nostrae argumentationi multa esse contradicturum, inprimis si ea, quae de Paulo ejusque doctrinae adversariis antea disputavimus, in memoriam revocare velit.

§. 33. *De iis, quae effecit Judaeo-Christianismus in externam rei Christianae conditionem.*

Quid effecerit *Judaeo-Christianismus* in externam rei Christianae conditionem, jam nunc paucis dicemus. Quod ad societatis Christianae regiminis formam attinet, diximus supra (19), prima ejus lineamenta a Synagogâ *Judaeorum* mutuatos esse *Christianos Hierosolymitanos*. Ecclesiae, quae deinceps congregabantur, hoc exemplum sequebantur, hic vel illic ad mores suos et instituta civitatis, quam incolebant, plus minusve immutatum. Sed illud non adeo est, quod *Judaeo-Christianismi* efficacitatem, proprio sensu maxime dictam, ostendat. Formam quandam regiminis sequi debebant *Christiani*; et per se *Judaeorum* institutum commode in usum suum convertere potuerunt.

At

(19) §. 2. p. 14.

At vero est aliud quid, cujus origo a *Judaeo-Christianis* repetenda videtur, et quod majoris ponderis dici meretur, siquidem ejus contemplemur sequelas. Scilicet opinio, quae identidem inter *Christianos* invaluit, doctores et rectores Ecclesiae separatum quendam ordinem efficere, et privilegiis suis prae reliquis *Christianis* esse ornandos. Ejusmodi sentiendi ratio identidem latius exposita et propagata ansam dedit hierarchiae, quae lapsu temporis in veram abiit tyrannidem. Hujus opinionis origo quaeri debet in veterum *Hebraeorum* hierarchiâ, ex cujus principiis ordo *Sacerdotum* et *Levitarum* curam gerere debuit religioni et ritibus sacris, et hanc ob causam auctoritate gaudebat prae reliquo populo, qui sacerdotum ministerio utebatur, quasi medio quodam, Deum inter et homines eum adorantes, interposito. Ex germanâ *Christianorum* disciplinae indole, nihil ejusmodi apud Christi sectatores locum obtinere potuit: omnes enim fuerunt *βασίλειον ἱεράτευμα* (20), unumque coelestem habebant summum sacerdotem, omnibusque sine discrimine aditus patebat *εἰς τὸν θρόνον τῆς χάριτος* (21).

At vero loquendi usus, qualem *Christiani* reperierunt in scriptis Veteris Testamenti, ab ipsis solebat adhiberi, cum de coetuum suorum gubernatoribus loquerentur. Quod primis temporibus ni-

(20) 1 Pet. II, 9. Hanc opinionem ex ipsa Christi doctrinae indole repetendam pulcre exposuit Neander l. c. P. I. p. 277 sqq.

(21) *Hebr.* IV, 16.

nihil erat nisi verborum et phrasium usus (22), identidem hanc vim habuit, ut ipsam rem introducere inciperet. Tandem eo pervenit, ut discrimen statueretur inter *Clericos*, uti vocabantur, et reliquam turbam *Christianorum*. *Episcopi* et *Presbyteri* in vicem *Sacerdotum* et *Levitarum* successerunt, et jura quaedam et privilegia sibi arrogârunt nomine abutentes Judaici instituti. Accesserunt quidem seriori aevo, cum *Christianorum* societas cum republicâ jungebatur, aliae causae, ex pravo ambitionis studio honorumque immo dirâ cupiditate repetendae (23), sed antiquissimâ aetate vestigia *Judaeo-Christianismi* minime negari possunt. Imprudentior enim usus dicendi rationis *Hebraeorum* librorum, divino quasi splendore circumdabat *Clericos*, et in loco collocavit excelso, qui minime ipsis concedendus fuisset, si ad veram suae disciplinae naturam attendissent *Christiani* antiquiores (24).

Clarius adhuc elucet efficacitas *Judaeo-Christia-*

(22) Ejusmodi loquendi usûs vestigia jam exstant apud Clement. *in Epist. ad Corinth.* c. 40, 41. Quam facile ex talibus phrasibus res ipsa potest confici, exemplo suo ostendit Cotelerius ad h. l. ex Clementis dictis efficiens, quod iis minime inest, antistites *Christianorum* successisse *Judaeorum* sacerdotibus.

(23) Vid. hoc de argumento cl. N. C. Kist (cujus monita utilissima circa historiam Ecclesiasticam multum mihi profuisse, grato profiteor animo) in Dissert. *de Commentat. quam Constantino M. auctore societas subiit Christiana*, p. 66—74.

(24) Qui plura hoc de argumento legere cupiat, evolvat Neandrum l. c. p. 298 sqq.

stianismi in rituum festorumque observatione, qualis primis rei Christianae temporibus obtinuit. Nec Jesus neque *Apostoli* hac de re leges aut praecepta dederunt. In promtu erat cultus *Judaeorum*, qui recens conditis Ecclesiis exemplar exhiberet. Celebrari solebant festa solemnia *Judaeorum*, sed ne nimis jejuna eorum observatio videretur, *Christiani* conjungebant cum festis illis memoriam quandam eventuum ex historiâ Christi vel *Apostolorum* repetitorum. Temporis ratio imprimis huic studio apta erat. Quid magis rei congruum, quam cum *Judaeorum* festo *Paschatis*, Jesu patientis et emortui inque vitam revocati memoriam connectere? Quid facilius, quam cum festo *Pentecostali* splendidam suae religionis inaugurationem celebrare (25)? Neque hoc longius quaesitum videri debuit hominibus, qui in Veteri Testamento studiose loca quaerere adamabant, ad *Christianorum* religionem alludentia, quibusque tam gratum erat et acceptum opus, similitudines et comparationes conficere inter veterem et novam oeconomiam. Huic causae adscribendum etiam videtur, cur tam sero festum natalium Jesu Christi celebrari inciperet, ortumque suum ex Occidente haberet (26). Etenim

(25) Vid. Neander l. c. P. II. p. 517—526.

(26) Festum τῶν ἐπιφανίων, id est solemnis inaugurationis Christi ad munus suum, quod ex Oriente in Occidentem venit, cujusque historia arcte connexa est cum historiâ festi *Natalium* Christi, magis aptum fuit sentiendi rationi *Judaeo-Christianorum*. Non nisi aegre in Ecclesias Orientales introduc-

nim nullum *Judaeorum* exstabat festum, cui commode hanc memoriam adaptare potuerunt. Quam altis radicibus Judaici moris efficacitas *Christianorum* insita fuerit animis, ex celebri illâ controversiâ apparet, quam seculo maxime secundò exeunte de *Paschatis* celebratione egerunt (27). Modus enim hoc festum celebrandi, qui locum obtinuit apud coetûs *Asiae Minoris*, Judaicam originem clare ostendit. Apud reliquos *Christianos* identidem alia hac de re cogitandi ratio obtinuit. Memoria Christi e morte revocati *Judaeorum Paschatis* notionem removerat; neque mirum adeo, rem istam, primo intuitu tam exigui ponderis, offensionem excitâsse aliarum Ecclesiarum, uti *Alexandrinae* et *Romanae* imprimis, e qua ratio *Judaeo-Christianismo* contraria plerosque fautores nacta erat. Forte cuidam mirum videbitur, partibus *Romani Episcopi* Ecclesias *Palaestinenses* etiam favisse; sed hic teneat, tunc temporis hos coetûs post repetitam cladem *Judaeorum* constitisse ex *Ethnico-Christianis*; cum reliquiae antiquorum *Judaeo-Christianorum* infausto *Ebionaeorum* nomine appellatae, in obscuro loco latebant, fragmentorum naufragii instar, quae spectatoribus tristitiam movere solent, quando

ductum est festum *Natalium* Christi. Hujus festi vestigia ante seculum 4. non exstant, nisi quis cum Neandro l. c. p. 528 sq. locum quemdam Clementis Alex. Strom. L. I. huc trahere vellet.

(27) Vid. Neander l. c. p. 519.

do misere per littora disjecta intuentur pristinae gloriae monumenta.

Judaeo-Christianismi efficacia imprimis inde confici potest, quod tamdiu apud *Christianos* omnes *Sabbathi* dies celebrari soleret. Si quidem hoc factum esse legimus ab *Ebionaeis* (28), nihil mirum hoc nobis accidit: etenim haec *Judaeo-Christianorum* pars legum Mosaicarum observationi dedita, praecipuum hoc institutum legis certo minime negligere potuit. Apud ceteros *Christianos* antiquum institutum valuit tantum, ut *Sabbathi* solemnitatem cum celebratione *diei Dominici* retinerent (29). Nullibi autem contra *Judaeos* disputantes scriptores Ecclesiastici, hujus diei observationem obsoletam fuisse diserte affirmant (30). Nec solum hic usus in Ecclesiis Orientalibus obtinuit, sed etiam in Occidentalibus coetibus, uti ex variis locis apud Tertullianum apparet (31). Tandem vero *Sabbathi* cele-

(28) Euseb. *Hist. Eccl.* III, 27. Cf. Giesler in *Archiv.* p. 329.

(29) Cf. Schröckh l. c. T. II. p. 145. qui p. 316. Sabbathi observationem apud antiquos Christianos exinde derivat, quod hi faciliores essent erga Judaizantes. Leg. etiam Hartmann l. c. p. 389 sqq.

(30) Justin. M. in *Dial.* c. Tryph. p. 194. Sabbathum coluisse *Christianos* nobis indicat, defendens morem apud suos obtinentem die Sabbathico calidis utendi alimentis.

(31) Tertull. *adv. Jud.* c. 4. p. 281. *Edit. Seml. unde nos intelligimus magis, sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere, et non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus.* Cf. id. *contra Psychicos*, c. 14, 15. p. 418. et alibi.

Hu-

lebratio locum suum cedere debuit diei primo hebdomadis, quod imprimis seculo quarto ineunte obtinuit: nec tamen adeo cito hoc accidit, ita ut etiam tempore Athanasii vestigia occurrant pristini honoris, quo *Christiani Sabbathum* prosequi solebant (32).

§. 34. *De clade Judaeorum reipublicae sub* Vespasiano, *primariâ causâ interitûs Judaeo-Christianismi.*

Cum itaque *Judaeo-Christianismus* tantam vim et efficacitatem in rem *Christianam* exserere debuit, et reverâ exseruit, merito quaerimus, num in comparando emolumento et damno, quod inde profluxit, hoc illi praeponderaverit, an vero contrarium obtinuerit. Siquidem in memoriam revocamus, quae antea disputavimus, potius in hanc iremus sententiam, rei Christianae non multum emolumenti allaturum fuisse *Judaeo-Christianismum*, tali ratione se ostendentem, qua contra *Paulinam* rationem pugnantem eum sumus contemplati.

Fin-

Hujus moris vestigia expresserunt etiam Pseudo-Clem. *Constit. Apost.* L. VII. c. 23. *τὸ σάββατον μέντοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως.* Cff. L. V. c. 15. 20. L. VIII. c. 33.

(32) Athanasius, *Homil. de Semente Oper.* T. I. p. 1060. *Edit. Paris.* 1627. ἐν ἡμέρᾳ inquit Σαββάτων συνήχθημεν, οὐ νοσοῦντες Ἰουδαϊσμόν· οὐ γὰρ ἐφαπτόμεθα Σαββάτων ψευδῶν· παραγεγόναμεν δὲ ἐν Σαββάτῳ, τὸν Κύριον τοῦ Σαββάτου Ἰησοῦν προσκυνήσοντες.

Fingamus rerum conditionem eodem modo mansisse, qualem vidimus fuisse, cum Paulus e vita discederet, *Judaeorum*que respublica salva adhuc staret et incolumis. Repetitae controversiae inter duas partes, uti solet accidere, nihil valuerunt, nisi ut ab utrâque parte animi dissentientium magis magisque exacerbarentur. In ejusmodi coetibus, ubi partem *Judaeo-Christiani* efficiebant, necessario diu in obscuro latens ignis tandem in flammam erupisset, dissidioque et separationi, variorum damnorum matri et nutrici, viam aperuisset.

Externâ vi et auctoritate praediti *Judaeo-Christiani* fortassae coetum condidissent separatum, qui aliter sentientes e medio suo rejiceret, indolemque ostenderet germanae Christi doctrinae contrariam. Quid mirum fuisset, si Christi cultores, hoc nomine vix digni, *Judaeorum* celebritate freti et auctoritate, lapsu temporis in sectam abiissent, medium quasi inter Judaismum et Christianismum tenentes. Quod reliquiae istae veteris Ecclesiae *Hierosolymitanae Ebionaeorum* nomine insignitae, propter numeri exiguitatem et miseram conditionem facere non potuerant, facillime effecisset societas quaedam, tam nominis antiquitate, quam externo *Judaeorum* splendore ornata, qualem deprehendimus Ecclesiam *Palaestinensem* fuisse. At vero summum periculum Deus O. M. avertit. Externarum rerum vicissitudinibus effectum est, ut luctae futurae obex poneretur, lancesque vergerent in commodum *Ethnico-Christianismi*.

Corruit *Judaeorum* respublica, et corruit *Judaeo-Christianismus*. Fatalis ille dies, qui urbi *Hierosolymis*, temploque Jehovae sacro exitium attulit, aeque exitiosus fuit Ecclesiae *Hierosolymitanae* matri *Judaeo-Christianorum*. Clades interneciva, quae rempublicam Judaicam destruxit, populumque integrum libertate suâ et dignitate spoliavit, primaria causa est dicenda interitus *Judaeo-Christianismi*, qua de re jam paucis agendum nobis restat.

Vix ullus cogitari potest eventus tot tantisque sequelis insignis, quam ultima calamitas, quae rempublicam *Judaeorum* prorsus labefactavit. Diu antea jam jacta fuerunt semina pestis, quae tandem toti corpori interitum creavit. Longe lateque per omnia membra serpserat; allata medicina vulnus reddiderat insanabile. Ipsi *Judaei* morum corruptione intestinisque turbis et bellis enervati, invictis *Romanorum* armis nil nisi desperatorum hominum furorem et rabiem opponere potuerunt. Procuratorum suorum vexationibus et crudelitate exagitati, tandem ad arma currunt furentes. Per quatuor annos circiter belli atrox imago *Palaestinam* infestat, omniaque impetu suo rapit. Ingens *Judaeorum* numerus cadit, suorum et *Romanorum* armis confossus. Omni regione devastatâ, incolarumque frequentia nudata, belli furor in moenia sanctae sedis volvitur. Tito Vespasiano exercitum *Romanum* ducente, obsidione cingitur *Hierosolyma*. Varia calamitatum genera, quae unquam hominibus imminent, miserrimum populum vexant; quibus hostium arma flam-

flammaeque furor parcunt, fames et lues lentâ morte aternunt. Urbs tandem capitur, templum incenditur, cives omnes unâ miscentur clade. Sedes illa ab antiquo illustris Mosaicae religionis solo aequatur et in perpetuum proles *Israëlis* e patriâ exsul per orbem terrarum oberrat, divinae justitiae et veracitatis exemplar clarissimum (33).

§. 35. *De modo, quo clades Hierosolymorum exitium attulerit Judaeo-Christianismo.*

Non longâ disputatione opus erit, ut demonstremus, quantum clades illa reipublicae *Judaicae* inservierit, ad *Judaeo-Christianismum* labefactandum.

Omnia autem, quae in commodum *Judaeo-Christianorum* trahi poterant, prorsus evanuerunt, *Hierosolymis* temploque vastatis. Nexus, qui hos cum ceteris civibus jungebat, non amplius exstabat, coetus *Hierosolymitanus* publicae cladi involvebatur; nam minime probabile est, *Romanorum* arma pepercisse *Judaeis*, qui Christi doctrinae assensum dederant. Quis dubitabit, quin plures Christi cultorum simul perierint, universâ abrepti calamitate.

Serior quidem aetas *Christianos Hierosolymis* *Pel-*

(33) Sufficit memorabilem illam cladem *Judaeorum* verbulo attigisse, cum uberiorem hujus rei historiam saepius tractatam satis superque dederint alii. Vidd. quos excitat cl. L. Suringar in *Comment.* insertâ *Opp. Societ. Hag.* Anni 1809, cui titulus: „*Betoog van de waarheid en Goddelijkheid der Euangelieleer uit de lotgevallen der Joodsche natie, na den dood en verheerlijking van* Jezus Christus, p. 31—44.

Pellam oppidum quoddam *Transjordanense*, migrantes pingit (34); et minime hanc traditionem, simplicitate suâ se commendantem, in dubium vocamus (35). Sed omnes omnino Christi cultores publicam effugisse calamitatem, nullo modo contendere audemus. Nisi quis miraculum quoddam in subsidium vocet, vix cogitari potuit, quomodo tot homines, arctissimâ necessitudine cum popularibus suis conjuncti, subito ingruentem effugissent procellam.

Quidquid hujus rei est, *Judaeo-Christiani* illi, qui *Pellam* aufugerant, nil nisi debilem referebant imaginem antiquae Ecclesiae *Hierosolymitanae*, neque priorem recuperare potuerunt splendorem, uti eventus satis demonstravit. Deinde externa gloria Mosaicae institutionis perierat. Hoc videntes nonnulli facilius avocabantur ab amore illo, quo circa *Judaeorum* ducebantur religionem. Non amplius studio se tradere potuerunt, pro-

(34) Euseb. H. E. L. III. c. 5. p. 59, 60. Ut haec fuga *Christianorum* magis honorifica esset, Epiphanius (in loco a Vales. ad Euseb. cit.) inducit Angelum, *Christianos* ad fugam capiendam hortantem. Per alias etiam *Romani* imperii provincias ipsos dispersos fuisse, non immerito conjecit Clericus l. c. p. 474.

(35) Eusebius quidem nullam adduxit auctoritatem, sed traditionem hanc multum probat reditus *Judaeo-Christianorum Hierosolymam*, tempore Hadriani. Probandi vim etiam habet, quod tempore Hieronymi et Epiphanii, *Nazaraei* et *Ebionaei* sedem habuisse dicuntur in *Peraeâ*, *Pellae* et *Cochabae* (forte *Chobae* *Genes.* XIV, 15.) in *Basanitide*. Vidd. Clericus l. c. p. 476. nota 3. et Gieseler in *Archiv.* l. c. p. 282.

promovendae et asserendae rituum pompae, quae non amplius aderat. Hujus cladem lugentes facillime in cogitationem incidere potuerunt, Deum ipsum, cultum a se per Mosem institutum abrogatum velle, quippe qui templum suum dirui sivisset.

Ejusmodi observatio, quae ne apud *Judaeum* quidem vi suâ carere potuit, imprimis mentem *Christianorum*, quamvis antea *Judaismo*, magis quam par erat, faverant, percellere debuit; siquidem in memoriam vocarent ipsius Servatoris vaticinia, cladem *Hierosolymae* et interitum oeconomiae Mosaicae significantia. Neque ipsos fugere potuit, quomodo Christus hisce in vaticiniis cultores suos a reliquis distinxerit, *Judaeos* horumque interitum arcte conjunxerit cum laetâ et prosperâ propagatione doctrinae Euangelicae (36). Ut fieri solet, tunc imprimis ad vaticinia illa attendebant, cum tam egregie eventus ea probaverat, iisque bene perpensis, religio Mosaica, omni suo splendore destituta, minoris pretii ipsis videri debuit, postquam rebus ipsis edocti erant, Christi doctrinam nullo modo pendere ab eâ.

Denique observari meretur, gentem *Judaicam* propter repetitas seditiones bellumque tandem acerrime gestum, odium imprimis in se traxisse *Romanorum*. Hi non desinebant attendere quosvis motus, quos populus ille excitare poterat. Unde necessario sequebatur, *Christianos*, si quidem

(36) *Matth.* XXIV, 9—14, 30 35. Cf. cl. Suringar l. c. p. 281 sqq.

dem saluti suae consulere vellent, omne commercium, quantum fieri posset, intermisisse cum *Judaeis*, ne ejusdem calamitatis fierent consortes. Unde perquam fit probabile, Christi cultores fugisse omnia, quae ipsorum affinitatem cum *Judaismo* indicarent.

Lethali itaque vulnere affectus est *Judaeo-Christianismus*, neque deinde huic malo remedium invenire potuit. Externarum rerum efficacitate sic effectum est, quod *Paulinae* factionis disputationibus et studiis effici non poterat: et republicâ *Judaeorum* occidente, occidit etiam *Judaeo-Christianismus*; neque seriora tempora hujus sentiendi rationis efficacitatem senserunt, quemadmodum aevum *Apostolorum* senserat, et identidem vestigia ejus disparuerunt.

Hic pedem figere possemus, cum eo pervenerit nostra disputatio, quo *Judaeo-Christianismum* ab altâ suâ sede deturbatum vidimus, Christique disciplinam ab imminente malo liberatam. Sed non abs re duximus, in exitu nostrae disputationis brevem adjungere conspectum fatorum Judaïcae gentis post primam cladem *Hierosolymorum* ad hoc usque tempus, quo in perpetuum *Palaestinâ* ejecti sunt. Ita finem faciemus enarrando eventu quodam, qui in Ecclesiâ *Palaestinensi* obtinuit, et per quem ultimus nexus inter *Judaeo-Christianos* et reliquos auferebatur.

§. 36.

§. 36. *De fatis Judaeo-Christianorum post cladem Hierosolymorum.*

Postquam *Hierosolyma* a Tito capta flammisque tradita fuerat, urbs solo aequata est, nec nisi tres turres relictae sunt, quae inter rudera totius urbis fastigium erigerent. Non tamen sic intelligi debet, quasi nemo amplius ibi habitaret; praesidium *Romanum*, quod ibi relictum est, certe aedificia quaedam sibi exstruxit; et saepius *Judaei* in ruinas suae metropoleos se contulerunt, ut quereias suas ibi effunderent. Unde probabile fit, identidem incolas quosdam iterum frequentâsse sedem desolatam (37). Reliquiae *Christianorum* tamen illuc non revertebantur, sed *Pellae* vel alibi congregabantur, nomine Ecclesiae *Hierosolymitanae* retento. Hi homines non statim legis observationem missam fecerunt, sed ei adhaerentes Symeonem quemdam, Cleopae filium, consanguineum Jesu Christi, praesidem crearunt Ecclesiae, postquam Jacobus a *Judaeis* occisus fuerat (38). Symeon huic muneri pae-

(37) Josephus *de bello Jud.* L. VII. c. 18. Cf. Munter, *Der Judische Krieg unter den Kaisern* Trojan und Hadrian, p. 39—41. qui p. 63. nonnullorum testimonia excitat, qui tradunt, excidium urbis non ejusmodi fuisse, quemadmodum a Josepho traditur. De urbis fatis post Vespasianum datâ opera egerunt Witsius, *Miscell. Sacr.* T. II. *Exercit.* X—XII. Deyling, *Observ. Sacr.* P. V.

(38) Vid. Euseb. II, 23. ubi Josephi narrationem, simplicitate suâ se commendantem, et Hegesippi traditionem, multo magis exornatam, descriptas legimus. Ex Josephi narratio-

praefectus est, cum *Hierosolyma* jam deleta erat (39). Hic senex aetate jam multum provectus, (annos 120 natus mortuus esse dicitur), regnante Trajano (40) violentam subiit mortem, accusatus a *Judaeis*. Videtur morte affectus esse, quod ipse e regiâ stirpe ortum habebat, quippe qui consanguineus esset Christi. Hac re accusatores ejus uti potuerunt, ut suspicionem *Romanorum* excitarent. Hi enim timore turbulenti populi repleti, ne iterum bellum recens sopitum ex cinere erumperet, omnes illos, de quibus fama ferebat, ipsos e stirpe regiâ esse prognatos, suspectos habebant; metuebant enim, ne a *Judaeis* rebellantibus antesignani eligerentur adversus hostes suos. Ex hac causâ explicari potest, quod de Domitiano narratur, consanguineos duos Jesu Christi arcessente. Quos cum audiverat, nihil in ipsis deprehenderat, quod novas res moliendi studium innueret, adeoque viros inno-

tione apparet, *Sadducaeorum* odio factum esse, ut morti traderetur Jacobus.

(39) Euseb. III, 11. dicit, post mortem Jacobi 8 annorum intervallo relicto, Symeonem ei successorem datum esse ab Apostolis adhuc viventibus et consanguineis Jesu.

(40) Euseb. III, 32. Mors Symeonis vulgo refertur ad annum 116. uti a Clerico, *Hist. Eccl.* p. 555. sententiam secuto Dodwellii, Lloydii et Pagii ibid. citat. Gieseler in *Archiv.* p. 320. refert ad annum 108. Dicitur ab Hegesippo ap. Euseb. l. c. συκοφαντηθεὶς ὑπὸ τῶν αἱρέσεων: quo dicto innuere videtur, sectas *Judaeorum* tunc temporis in *Palaestinâ* vigentes, quas septem fuisse docemur alio loco Hegesippi servato ab Eusebio. L. IV, 22.

nocuos illaesos in patriam remiserat (41). *Judaei* autem videntes, quantum homines e regiâ stirpe orti suspicionem moverent *Romanis*, Symeonem hoc nomine accusarunt, eorumque conatus successu minime caruit (42). Videmus ex hac historiâ, *Judaeo-Christianorum* statum minime securum fuisse, sed vexationibus Imperatoris Trajani expositum (43), non hanc ob causam, quod essent Christi cultores, sed quod ejusdem numeri haberentur atque reliqui *Judaei*: quamvis haec gens adhuc eodem animo infesto in populares suos Christo addictos ferebatur, quo antea. Miserrima ejusmodi conditio fuit *Judaeo-Christianorum*; nam a *Romanis* vexabantur, quia *Judaei* habebantur, et a popularibus suis, quod *Christiani* essent. Neque mirandum fuisset, si conditionis suae pertaesi, statim abjecissent omnia vincula, quae cum gente Judaïca ipsos jungebant. Non statim fecerunt. Contrarium effici-

(41) Hegesippus ap. Euseb. III, 19, 20. Cf. Clericus p. 510 sq. Huic narrationi fidem esse habendam, tum ejus simplicitas, suadet tum Hegesippi auctoritas, qui fuit auctor satis antiquus. Floruit enim tempore Antonini Pii. Sub Episcopo Aniceto *Romam* eum venisse tradit Euseb. II, 23. qui L. IV. c. 8. eum significâsse tempus, quo innotuit, dicit. Vid. Clericus p. 665 sq.

(42) Hegesippus narrat ap. Euseb. III, 12. ipsos Symeonis accusatores a *Romanis* reos factos esse, tanquam e regiâ stirpe oriundos.

(43) Exstat quaedam relatio Tiberiani de *Christianis Palaestinensibus* servata a Joanne Malela, de qua leg. Clericus l. c. p. 553. Gieseler, *Kirchengeschichte*, T. I. p. 93.

cimus inde, quod *Judaeum* quemdam, Justum appellatum, successorem constituerint Symeonis, „quo tempore adhuc" ut ait Eusebius „magnus numerus *Judaeorum* Christo fidem habebat (44)." Imo ad Marcum usque, (de quo mox dicemus), omnes *Episcopi Hierosolymitani Judaei* erant (45). Unde *Judaeo-Christianorum* auctoritas et in reliquos, qui forte aderant, imperium, satis clare elucent. Novo itaque eventu opus erat, ut prorsus *Judaeo-Christianismus* interiret; quem eventum suppeditavit altera clades *Judaeorum* regnante Hadriano.

§. 37. *De clade Judaeorum regnantibus* Trajano et Hadriano.

Regnante jam Trajano motus *Judaeorum* et seditiones in bellum apertum jam exarserant anno Christi 115 in *Cyrenaicâ*, cum Imperator in *Armeniâ* bellum contra *Parthos* gerebat. Rebellionis contagium ex *Cyrenaicâ* in *Aegyptum* serpsit, ubi *Judaei* gravissimos cierunt motus, qui

(44) Euseb. III, 35.

(45) *Episcoporum Hierosolymitanorum* catalogum exhibet Euseb. IV, 5. quos omnes *Hebraeos* fuisse narrat. Ipse tamen confessus est, ignorare se temporis spatium, per quod quisque munere suo functus sit. Et omnino si cum hoc catalogo conferamus, quod de Jacobo et Symeone narraverat Eusebius, reliquis 13 *Episcopis* non residuum erit majus spatium temporis, quam 20 annorum circiter, quod satis a verosimilitudine abhorret. Jure dixit Clericus p. 604. „*Singulorum tempora notare vatis esset, non historici.*"

qui ad *Aethiopiam* usque se extendebant (46). Sequenti anno *Romani*, exercitu collecto, *Alexandriam* vix retinuerunt, ibique magnam stragem inter *Judaeos* ediderunt. Neque insula *Cyprus* a seditione immunis fuit. *Mesopotamia* etiam rebellantes vidit *Judaeos*, quos tandem post multos labores coercuit Lusius Quietus, Trajani dux optimus (47).

Hadrianus imperium capessens, primo regni anno, *Judaeorum* inquietam expertus est mentem, cum seditionem excitabant, mox vero sedatam; (48) sed malum tunc quidem procrastinatum, non vero sublatum est. Hadrianus in itinere suo, quo imperium suum peragravit, anno 130 in *Palaestinam* venerat. Curam summam adhibuit, ut repetitos *Judaeorum* compesceret motus. Hoc consilio hanc gentem magis magisque deprimere studuit. Circumcisionem ipsis vetuisse traditur Imperator (49). Restituit mox *Hierosolymam*, quae ad hunc usque diem in ruderibus ja-

(46) Vid. Dio Cassius, L. LXVIII. c. 32.

(47) Cf. Munter l. c. p. 13 sqq. qui summâ industriâ omnia veterum collegit fragmenta, de hoc bello *Judaeorum* agentia. Cum bello *Judaeorum* contra Trajanum vir doctissimus conjungit martyrium Ignatii, p. 27, 28. nec sine veri specie. Lusius Quietus ob belli merita *Legatus* Augusti provinciae *Palaestinae* factus est, vid. Euseb. L. IV, 2. ibique Valesius. De seditione *Judaeorum* *Cyrenensium* et *Aegyptiorum* cf. Clericus l. c. p. 544 sq.

(48) Spartianus in *Hadr.* c. 5. Euseb. in *Chron.* ad Hadriani annum I.

(49) Spartian. in *Hadr.* c. 14.

jacuerat. Mandavit, ut iterum incolis frequentaretur, colonia scilicet in urbem adducta, ita ut praesidio servata *Romano*, *Judaeorum* impetum, si forte patriam recuperare vellent, cohiberet (50). Instauratio ista *Hierosolymorum* signum quasi dedit bello, quod mox erupit anno 132, cum Hadrianus ex Oriente discesserat (51). *Judaeorum* animi tanto studio bellum spirabant, ut facili operâ quemque virum ducem sibi constituerint. Hac opportunitate mox quidam prodit, qui nomine Barchochabae vocatur. Fortasse proprium ipsius nomen fuit Simeon (52). *Barchochabas* (בר־כוכב), *filius stellae*, dicebatur, respectu habito loci cujusdam e libro *Numerorum* (53). Quod nomen, post infaustum successum, populares deinde immutarunt in infamem appellationem *filii mendacii* (בר־כזיבא).

Perditus ille homo facillime civibus suis persuasit, se esse *Messiam*, a Deo missum, ut liberaret *Israëlitas*, novâque gloriâ ipsos afficeret. Ad apertum bellum ipsos concitavit; quod tantâ vi-

(50) Cf. Munter l. c. p. 37. sqq. qui auctores antiquos excitavit.

(51) Dio Cassius LXIX. c. 14. Cf. Munter l. c. p. 66 sqq.

(52) Tale nomen habuisse videtur, siquidem accipiamus, quae de nummis quibusdam a Barchochabâ recusis, ubi nomen Simeonis apparet, disseruit Munter p. 57—62. Vulgo hi nummi ad Simonem *Maccabaeum* referebantur, sed falso, quia in eo Trajani apparet moneta, a *Judaeis* mox recusa.

(53) *Num.* XXIV, 17.

virium intentione a *Judaeis* gerebatur, ut *Romani* non nisi post magnam sanguinis effusi copiam ipsos vincerent.

Per quatuor fere annos bellum atrox gestum est. *Hierosolyma* a *Judaeis* recuperata, mox a *Romanis* iterum capitur (54). Tandem *Judaei*, ad incitas fere redacti, in urbem quandam, cui nomen *Bether* se conferunt, obsidione ibi cinguntur a *Romanis*. Urbs fame et hostium impetu capitur, ipseque dux belli Barchochabas perit (55). Hoc bello ingens numerus *Judaeorum* interfectus est (56), et *Palaestina* in desertum conversa est, oppidis vicisque undique flammis ferroque vastatis, *Judaei*, qui belli evitârant furorem, captivi venduntur. Ita reliquae hujus populi vires fractae sunt, neque amplius manus conserere ausi sunt cum *Romanis* (57).

Post

(54) De hac obsidione *Hierosolymorum* vix aliquid narrarunt auctores antiqui; sed reverâ hanc urbem Hadriani tempore obsessam et captam fuisse, diserta loca quaedam affirmant, uti Appian. *in Syriac.* c. 50. *Liber Samaritanus* Josuae, cujus argumentum edidit Fabric. in *Cod. Pseudep. V. T.* p. 887. Euseb. *Demonstr. Euang.* L. VI. c. 18. Hieron. in *Habac.* c. 2. Paulus Diaconus ap. Muratori *Script. Rer. Italic.* L. X. c. 61. alii, quos excitat Munter, p. 65.

(55) De obsidione *Betheris*, deque situ hujus urbis leg. Munter, p. 77 sqq.

(56) Numerus *Judaeorum*, qui in hoc bello perierunt, 580,000. fuisse traditur a Dione, Lib. LXIX. c. 14.

(57) De hoc bello Judaico mentionem etiam fecit Justinus M. in *Dial. cum Tryph.* p. 137 in fine p. 155. *Edit. Thirlb.* Idem innuere videtur edictum Hadriani, quo introitus in *Hierosolymam Judaeis* vetabatur, Ibid. p. 169.

Post repressam seditionem *Judaeorum* Hadrianus *Hierosolymorum* perfecit instaurationem. Ipsum hujus urbis nomen mutavit et *Colonia Aelia Capitolina* ab hoc inde tempore audit (58). Omnis ejus habitus immutabatur; sacra gentilium celebrabantur in locis, olim veri Dei cultui sacris. Templum Jovis *Capitolini* solum occupavit, quo antea Salomonis fuerat templum. Imago suis in marmore sculpta est supra portâ, qua *Bethlehemum* versus egrediebantur. Deorumque *Phoenicum* cultus etiam in circuitu *Aeliae* celebrabatur: ita ut omnia evanescerent vestigia pristini hujus civitatis honoris (59). *Judaei* omnes edicto Imperatoris ab urbe prorsus excludebantur, et custodibus appositis cautum est, ne propius quam par erat, ad eam accederent (60). Hac ratione ab Hadriano perfectum est, quod inchoatum vidimus a Vespasiano; *Judaeis*que omnia sunt ademta, quibus unquam freti libertatem sibi vindicare possent.

§. 38.

(58) Nomen *Aeliae* diu remansit; tempore Eusebii hoc nomine appellabatur. Vid. ejus *Hist. Eccl.* II. c. 12. Episcopus *Hierosolymorum*, *Episcopus Aeliae* dicitur in *Canon.* 7. *Concil. Nicaeni.* Nomen *Hierosolymae* ita in oblivionem abierat, ut procurator *Palaestinae* Firmilianus rogaret, quaenam haec fuerit urbs? ap. Euseb. de *Martyr. Palaest.* c. 11. Identidem a Constantini tempore invaluit, ut pristinum nomen haec urbs postliminio quasi recuperaret.

(59) Vid. Munter l. c. p. 88—91. et loca ibi citata.

(60) Justin. in *Dial.* l. c. Aristo Pellaeus ap. Euseb. *H. E.* L. IV. c. 6. Tertullian. *adv. Jud.* c. 15. Hieronym. in *Esai.* c. 6. Sulpic. Sev. L. II. c. 45.

§. 38. *De novo coetu Hierosolymitano, sub* Marco *Episcopo Ethnico-Christiano.*

Jam paucis videamus, quidnam valuerit repetita haec strages *Judaeorum* ad sortem *Judaeo-Christianorum* immutandam. Ipsi hoc bello satis superque edocti sunt, se nihil quam mala a civibus suis exspectare posse. *Christiani Palaestinenses* a Barchochabâ male habiti sunt et vexati, si recusarent se adjungere armis *Judaeorum*, seditionisque fieri consortes (61).

Hoc modo mentes *Judaeo-Christianorum* imprimis abalienabantur a populo, cujus partem et ipsi efficiebant, tantoque facilius flectebantur in favorem gentilium, qui soli ipsis defensores et vindices adesse poterant contra rabiem civium suorum. Ipso belli furore *Judaeo-Christiani*, in *Palaestinâ* degentes, varia mala perpeti debuerunt, quae coetibus ipsorum multum attulerunt noxae. Quid mirum adeo *Judaeo-Cristianismi* studium prorsus evanuisse apud homines, qui quasi oculis suis viderant, Judaicam gentem calamitatibus omnibus quasi devotam fuisse, plerosque adeo omnia missa fecisse vincula, quae cum *Judaeis* ipsos jungebant. Neque opus est, ut tantum ratiocinio efficiamus, tale quid obtinuisse; historia

(61) Justin. in *Apolog.* I. p. 62. *Edit. Bened.* Euseb. IV, 6. Oros. *Histor.* L. VII. c. 12.

ria ipsa testatur, ejusmodi eventum tempore Hadriani affuisse.

Pellâ Hierosolymam nunc *Aeliae* dictam nomine redierat coetus. Non vero ipsis hoc licuisset ob Hadriani decretum, si quidem Judaicae gentis consortium retinere voluissent. Plerique itaque, qui ad hunc usque diem observationi legis Mosaicae addicti fuerant, cumque eâ Christi junxerant disciplinam, a pristinâ institutione discesserunt, inque partes *Ethnico-Christianorum* se contulerunt (62). Tum Episcopus coetus *Hierosolymitani* creatus Marcus quidam *Ethnico-Christianus*, cum decessores ipsius omnes *Judaei* fuissent. Hoc indicium diserte docet, quantâ curâ coetus *Christianorum*, in pristinam reversus sedem, omnia evitaret, quae nexum cum *Judaismo* indicarent. Prudenter sic egerunt, siquidem juribus uti vellent, quae Hadrianus novis colonis *Aeliae* suae concesserat: neque Imperator hicce *Christianis* infensus adeo fuit; ita ut bene rebus suis prospicerent *Palaestinenses*, si se conferrent quasi sub ejus tutelam (63).

Re-

(62) Sulp. Sev. Lib. II. c. 31. qui locus classicus hac in re dicendus est. Cf. Epiphan. *de Ponder. et mens.* §. 15. Auctor libri *Ontwerp der Godsdienstgevoelens* etc. supra cit. p. 123. cum aliis rem sic proposuit, quasi *Judaeo-Christiani* a reliquis urbe *Hierosolymorum* pellerentur, quippe minores numero. Minus accurate tamen.

(63) De hoc eventu memorabili egregie disseruit Moshemius, *Comment. de reb. ante Constant.* p. 325 sqq. Cf. Gieseler l. c. p. 325. Qui omnino legendus in iis, quae de

The-

Reliqui, qui nolebant Marcum agnoscere Episcopum, avitis adhaerentes institutis, extra *Hierosolymorum* fines recedere coacti, jam in partes *Transjordanenses* secedunt, ibique eos reperiit Hieronymus *Ebionaeorum* et *Nazarenorum* nomine insignitos. Sic vidimus matrem et nutricem *Judaeo-Christianorum*, coetum nimirum *Hierosolymitanum* in ditionem *Ethnico-Christianorum* pervenisse; et quidquid tandem *Judaismus* in posterum effecerit, in *Christianorum* disciplinam, arx et sedes adeo *Judaeo-Christianismi* sublata est; neque hoc amplius valuit, quod antea quidem. Ceterum Ecclesiae Christianae fata, maxime vero identidem exculta sentiendi ratio de doctrinâ Christi, tandem effecerunt lapsu temporis, mortemque attulerunt corpori, quod lethali jam laborabat vulnere.

Hujus rei ulterior inquisitio ad nostrum argumentum non amplius pertinet. Itaque hic finem facimus. Vidimus *Judaeo-Christianismum* ortum, auctum, Christianae disciplinae perniciem minantem impugnatum; tandem externarum rerum pondere labefactatum, repressum. Ab opere nostro discedimus Divinae providentiae moderamen admirantes, quae fatis populorum, et vicissitudinibus usa, malum a Christi cultoribus ipsâque disciplinâ averruncavit, quod hominum conamina ip-

Thebuti quodam schismatico, *Judaeo-Christianismo* faventi, ex loco quodam Hegesippi ap. Euseb. IV, 22. monuit p. 320 sqq.

ipsis necessario afferre debere videbantur. Divina vero disciplica victrix ex arenâ discessit, novoque circumdata splendore ex luctâ prodiit: et curae Divinae pro hominum salute clarissimum exhibuit spectaculum.

TANTUM.

THESES.

THESES.

I.

Justinus Martyr *Euangelia*, quae in Codice librorum N. T. supersunt, cognovit, et effata, quae passim attulit, similia illis, quae in libris historicis de vitâ et doctrinâ Jesu reperiuntur, non ex Euangelio *Ebionitarum*, sed ex Euangeliis Canonicis repetiisse, censendus est: Ἀπομνημονευμάτων vero appellatione usus esse videtur, quod librum Xenophontis hoc titulo insignitum ob oculos habuerit.

II.

Perperam nonnulli perhibent, *Apostolos* Jesu apud gentes veteres plane de *Diabolo* siluisse, cujus mentionem propterea apud *Judaeos* injecerint, ut ad horum falsas se accommodarent opiniones.

III.

In numerum vexationum, quibus cultores Christi ab Imperatoribus *Romanis* vehementer infestati esse leguntur, eae tantum referendae sunt calumniae et injuriae et horrenda omnis generis mala, quae temporibus Decii et Diocletiani, publicâ auctoritate inferrentur sectatoribus Religionis Christianae, quam *Romani* securitati imperii adversam haberent, et quibus omnes omnino *Christiani* qua tales affligerentur.

IV.

Actionum consilia et principia per se egregia et probatissima dici possunt, nec tamen ea ipsa laudanda sunt, nisi in iisdem adhibendis et applicandis prudenter versetur, et omnino caveatur, ne illud, quod reapte bonum est, per loci vel temporis rationes, et omnino per rei adjuncta fiat incommodum. Hoc imprimis tenendum est, in judicando de formâ regiminis Ecclesiastici et rituum in cultu sacro usu Quod hic utile est, ob reipublicae conditionem hominumque et morum rationem, alibi non sine noxâ adhiberi potest, quod uni tempori convenit, alteri saepe est incongruum. Haec observatio imprimis usu venit, ut lenius sentiamus de auctoritate *Clericorum* medii aevi, quae isti aetati quam maxime utilis fuit, et populis *Europaeis* multorum bonorum ferax fuit mater.

V.

V.

Bella inter factiones *Gibellinorum* et *Guelforum* seculo 12 et 13 gesta multum contulerunt, ad auctoritatem *Romani Episcopi* augendam. Feliciter ideo evenit, Bonifacii VIII temeritatem adversarium sibi excitasse regem *Franciae* Philippum Pulchrum, ipso illo tempore, quo Imperatores *Germaniae* ad obedientiam Sanctae sedi praestandam coacti fuerant.

VI.

Christianae de vitâ et moribus doctrinae praestantia et utilitas ex eo clarissime elucent, quod omnes facultates humanas in usum suum convertat, imo et affectiones animi inferioris ordinis, (τὰ πάθη), sic temperet et regat, ut ad perfectionem hominis moralem promovendam inserviant.

VII.

In eandem saepe, quam aliis exprobrant, culpam incidunt, qui, dum in causâ religionis libertatis patronos se acriter sistunt, et in eos, qui pristinae cogitandi rationi religiose adhaerescunt, acerbius invehuntur, ardentissimum simul desiderium produnt, alios in suas partes trahendi, neque in aliis ferunt sentiendi libertatem, quam sibi insolenter arrogant.

VIII.

VIII.

Impietas (ἀπιστία) et superstitio, quamvis natura sua diversissimae videantur, saepe arctissimo nexu inter se junctae conspiciuntur.

IX.

In pueris religionis Christianae scientia imbuendis, (*Catechizare* vulgo audit), non ea solum aut praecipue probanda est methodus, quae dici solet *Socratica*.



D. v. HEYST,
DE
JUDAEO-
CHRISTIA-
NISMO,
SECULO I.